Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
C
13
NAPOLI

~~51-17.~~

Digitized by Google

Digitized by Google

P A P A
ULTRAJECTINUS:
SEU
Myſterium Iniquitatis reductum
à
Clariſsimo Viro
GISBERTO VOETIO.
In opere
POLITIÆ ECCLESIASTICÆ.

AUTORE
LUDIOMÆO COLUINO.
LUDOVICO MOLINÆO

Biblioteca Nazionale ... V.E.

LONDINI
Apud THOMAM ROYCROF, 1668.

Digitized by Google

Digitized by Google

Clariſſimo & Ampliſſimo Viro,

D. HENRICO JUSTELLO,

REGIS CHRISTIANISSIMI

Conſiliario & Secretario.

S.

Cum nuper ingreſſus inſtructiſſimam bibliothecam (alteram amalthæam) viri unice mihi reverendi, & Sacræ Theologiæ Doctoris, incidiſſem in librum Clariſſimi viri Gisberti Voetii de Politia Eccleſiaſtica, quem proſtare quidem noveram, & in eum ſemel furtivos oculos conjeceram, ſed ejus legendi incurioſus hactenus fueram, factâ mihi ejus copiâ in aliquot dies, impetus me cœpit ulterius cognōſcendi quid novi illic eſſet quod non prius aut dictum, aut confutatum eſſet. Eâ ergo parte accuratius perlecta, quæ agit de poteſtate, tum Paſtorum, tum Magiſtratûs circa ſacra, excitatum me ſenſi ad reponendum illis nonnulla quæ mihi videbantur Jura Magiſtratuum ſubvertere; tum quod pejus eſt, in eos extruere imperium germanum & geminum illius quod Papa ſibi ædificavit in Reges & Populos. Ille enim tanquam pro aris & focis defendit νομοθεσίαν in ſacris, diverſam à νομοθεσίᾳ in civilibus, illamque pertendit pertinere ad ſolos Paſtores: Tum jus indicendi, convocandi Synodos, ad eas allegandi, canonibus vim & ſanctionem imprimendi, à Magiſtratu abjudicat, ſolis verò paſtoribus adjudicat; quas quidem δόξας, & nonnulla alia placita in quibus plus mihi errare videtur quam Bellarminus, & deſipere pluſquam infans, inſector,

 non

non ipſum virum, cætera orthodoxum, pium, & piorum vindicem, tum diffuſæ literaturæ, & in quo Illuſtris Sarravius laudat πολυαναγνωσίαν, quanquam judicio non ſemper defæcato & ſubacto. Cum autem mihi quærendus eſſet judex, qui diſceptator & arbiter ſederet controverſiæ, non tantum privatæ quæ mihi cum VOETIO eſt, ſed & publicæ quæ eſt cardo circa quem ſe volvit tum Eccleſia, tum Hierarchia Romana, te potius elegi in judicem vel patronum quam quenquam de ordine Eccleſiaſtico, utpote minus præjudiciis abreptum ad placendum, vel infenſis, vel obnoxiis cauſæ quam tueor adverſus Poteſtatis idolum, quam Romanenſes & noſtri (licet non omnes) juxta colunt: hi quidem optima mente, ſed credulâ, per errorem etiam bonis agnatum: illi pernicioſo conſilio, ut eo tanquam fuco & tectorio incruſtent Imperium Papæ in Reges & Magiſtratus, quo minus iniquitas hoc myſterio velata diſpaleſcat: quod quidem Imperium corruiſſet in ipſo exortu reformationis, ſi ejus primipili omiſſo operoſo labore refellendi per partes ſingulos errores Romanæ religionis, eam larvam Poteſtatis Eccleſiaſticæ, Imperio Papali & terreno pompâ & fulgore illuſtri detraxiſſent; per quam non ſolùm Papa firmat ſuum Imperium, falſis coloribus conſpicuum, quaſi eſſet Regnum Chriſti, ſed & vel craſſiſſimis & inſulſiſſimis doctrinæ Romanenſis erroribus authoritatem conciliat. Sanè ſi hodie Doctores proteſtantes compertum haberent, illam eſſe arcem, illud eſſe jugulum cauſæ, illum à primo debuiſſe errorem Pontificium tanquam cæterorum caput, (*Regimen Eccleſiaſticum*

cleſiaſticum diſtinctum eſt à Politico) ex animis evelli; qui quidem non intellectus ut par eſt à viris Sanctis, Luthero, Melanctone, Zuinglio & Calvino, non niſi magnis nunc detrimentis eſt expiandus: Hoc ſi inquam compertum haberent, non eſſent hodie adeo retinentes poteſtatis, quæ ſola vitam & vires dat Romanæ beſtiæ; ſed valere juberent poteſtatem quæ ablata nihil quicquam detrahit de vera poteſtate indulta à Chriſto paſtoribus; at altrinſecus mortem, exitium, & excidium Papæ & toti Romano apparatui parat. Quod autem retenta in nullum uſum cedat paſtoribus, eorumque regibus, palam faciam totâ hac diſſertatiuncula; in qua edocemus, præter poteſtatem longè Divinam & cœleſtem quæ eſt verbi, per quam ipſis Regibus & terrarum Dominis anteſtant, ſuntque & legati Chriſti, & æterni Evangelii præcones, accedere illis inſuper de jure naturæ, Divino, æquam & parem poteſtatem cum ipſis Magiſtratibus & Principibus populi in regimine tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ ; ut olim Sacerdotibus Leviticis, quanquam non quâ Viris Eccleſiaſticis, functione ſacra præditis, ſed quâ liberis capitibus, conſultioribus Divini, humanique juris, & rerum uſu conſpicuis, ſupra reliquos hominum ordines, ut jam non opus habeant locupletari additamento poteſtatis vanæ, illuſoriæ, & chimericæ, mediæ inter poteſtatem verbi & poteſtatem Magiſtratûs: nam dum ſibi adjudicant mediam illam poteſtatem, duplici damno augentur: quippe qui & primam poteſtatem illam Divinam & cœleſtem per miniſterium verbi ſe exerentem humanis

ratio-

rationibus & modis accommodant & induunt; & unà, poteſtate altera ſibi cum Principibus populi communi, & debita, excidunt. Mediâ ergo illâ Poteſtate Romam amandatâ, cum Primatu Papæ, id imprimis nobis probandum incumbit, paſtores & eorum greges, tum Synodos & conſiſtoria per duplicem poteſtatem regi & gubernari, nec unam ſine comite altera extra templum & Divinum cultum haberi, aut in Synodis, aut in conſiſtoriis, priorem quidem, quæ de jure Divino poſitivo ſolis paſtoribus competit, alteram de jure Divino naturali & gentium, delegatam quidem ſub Magiſtratu amico ab eo; at ſub Magiſtratu adverſo aſſumptam per diſciplinam confœderatam, mutuumque conſenſum. Utramque poteſtatem impermixtam & inconfuſam hac diſſertatione illis reddimus, & vindicamus, ut hanc & illam poſtliminio recipiant. Paſtores quidem ſeorſim potiantur ad inſtar ordinis Levitici & Prophetici ſub lege functione ſacra: at inſuper fruantur in conventibus ſuis extra cultum Divinum, juriſdictione, de jure communi naturæ & gentium, habitâ, retentâ & uſurpatâ à viris cujuſcunque demum ſtationis & ordinis illi ſint, ſive in Eccleſia, ſive in Republica, ubi cœtus agitant, & capita conferunt de negotiis rebuſque tum privatis tum publicis: Cæterum vir Clariſſime, hæc opella ultro ac meritò ad te properat, ſub tuo patrocinio & ſub tuo nomine apparere: tum authoris cauſâ, quem maximis in eum meritis tibi devinxiſti, tum diſſertatiunculâ ipſâ quæ in ſumma rei, ni fallor, cum tuis ſenſibus concordat: In quoquidem judicio tuo tam triumpho quam in amicitia tua præſidium pono, ut quæ à tua virtute initium duxit, *Vale plurimum.*

INDEX

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

TITULUS *Libri aſſeritur & aſtruitur.*

SECT. I. *Poteſtas Eccleſiaſtica Voetiana concordat cum ea poteſtate quæ eſt tradux myſterii Iniquitatis.*

SECT. II. *Id explicatius aſtruitur. Poteſtas Eccleſiaſtica Voetiana nuſquam audita aut intellecta eſt, nec ſub lege nec ſub Euangelio, priuſquam Papa efferret caput. A prima editione tribunalium Eccleſiaſticorum à Conſtantino optimo Conſilio & optima mente, arreptam occaſionem ab ædificatoribus myſterii iniquitatis introducendi poteſtatem perperam dictam Eccleſiaſticam, jure Divino diſtinctam a politica.*

SECT. III. *Poteſtas ſimilis Voetianæ incognita Patribus.*

SECT. IV. *Nec cognita Eccleſiis Helveticis. Imò nec magno Calvino, qui primus diſtinctionem poteſtatis Spiritualis à Civili Iudicio introduxit, eodem puto conſilio quo Conſtantinus tribunalia Eccleſiaſtica conſtituit, ineunte Imperio.*

SECT. V. *Neque Eccleſiæ reformatæ ſub Dominis Pontificiis, nominatim Gallicanæ, agnoverunt poteſtatem Eccleſiaſticam Voetianæ ſimilem.*

CAP. II.

Quibus artibus, dolis & fraudibus Pontificii probarunt Proſtantibus poteſtatem Eccleſiaſticam diſtinctam à politica.

SECT. I. *Detectio fraudis latentis ſub vocabulis functionis Eccleſiaſticæ, paſtorum, ejusque dignitate, ut aſtruatur poteſtas Eccleſiaſtica.*

SECT. II. *Fraus latens ſub vocabulo Eccleſiæ, detecta.*

SECT. III. *Fraus latens ſub vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis.*

SECT. IV. *Fraus detecta à neceſſitate, ut detur poteſtas Eccleſiaſtica.*

SECT. V. *Poteſtas Eccleſiaſtica retenta à Proteſtantibus & Pontificiis, juxta tam favet his, quam nocet illis. Voetiana Poteſtas multò abſurdior eſt Pontificia, licet minus impia.*

SECT. VI. *Supra dicta aſtruuntur teſtimonio virorum qui reformationem puriorem amplexi ſunt, quique rejecerunt, tum diviſionem poteſtatis in Eccleſiaſticam & Civilem, tum dogma illud velut Pontificium,* Regimen Eccleſiaſticum diſtinctum eſt à Politico.

CAP. III.

Catena conſiderationum & propoſitionum obviæ & expoſitæ intelligentiæ, & ſic accomodatæ ad captum rudiorum ut nemo eorum deinceps dubitet, quin poteſtas Voetiana media inter poteſtates duas adminiſtratas à paſtoribus, unam internam, quæ eſt verbi, alteram externam, quæ eſt poteſtas aut delegata à Magiſtratu, aut aſſumpta jure naturali & humano quoque, in omni cœtu conſpicua eſt, ſeu Civili ſeu Eccleſiaſtico, ſit abſurda, inficeta & chimerica; tum damnoſa illis, qui eam tractant, quatenus eos exuit poteſtate reali & civili.

SECT. I. *Illarum conſiderationum enumeratio.*

Inductione

Digitized by Google

SECT. II. *Inductione probatur quod duæ poteſtates diſtincta appareant in omni hominum cœtu aut ſocietate, una functionis, altera Iuriſdictionis ſeu poteſtatis, de Iure communi naturali & gentium, aſſumpta vel delegatæ. Parem eſſe rationem cœtuum Eccleſiaſticorum.*

SECT. III. *Confirmatio eorum quæ ſuperiori aſſertione dicta ſunt. De loco Iſidori qui fuſius exponitur: quod duæ poteſtates diſtinctiſſime ſunt conſpicuæ in omnibus Synodis, conſiſtoriis, & cœtibus Eccleſiaſticis, una functionis, altera Iuriſdictionis: una quæ eſt poteſtas verbi, altera Magiſtratus; una quæ producit actus ut plurimum internos, altera duntaxat externos: una per quam miniſtri ſunt paſtores, Epiſcopi, Rectores Eccleſiarum, clavibus aperiunt & claudunt regnum cœlorum, tum ligant & ſolvunt peccatores: altera quæ pariter cum Magiſtratu & ſenioribus exercetur. Verborum Conſtantini.* Ego ſum Epiſcopus in rebus quæ ſunt ad extra *verus ſenſus exhibetur.*

SECT. IV. *Vrgetur ulterius vis verborum Iſidori quorum maxima eſt concordia cum conſiderationibus ſupra allatis: quod elogia Epiſcopi, paſtorum, ductorum, rectorum &c. non militent pro poteſtate perperam dicta Eccleſiaſtica, quod hæc poteſtas quam Iſidorus ait eſſe cœleſtem, & poteſtatem regni Chriſti, tam diſcrepet à poteſtate Voetiana quam à poteſtate Magiſtratûs: ſiquidem & Voetiana & poteſtas Magiſtratûs, in unam eandemque poteſtatem confluant, ſintque vere & propriè dictæ Iuriſdictiones, & cogentes; cum poteſtas paſtoris ſit mere authoritatis perſuaſionis: de ratione quâ Magiſtratus eſt in Eccleſia: an ſit de eſſentia Eccleſiæ.*

CAP. IV.

Vanitas & futilitas poteſtatis Voetianæ oſtenduntur.

SECT. I. *Id Imprimis elucet, quod tam late pateat Poteſtas Paſtorum quam Poteſtas Magiſtratûs.*

SECT. II. *Quod Voetius parum ſibi conſtet in deſcribenda ſua poteſtate, & à ſe orſa detexat.*

SECT. III. *Vanitas & futilitas diſtinctionum, diviſionum & modorum quibus Voetius ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam probare conatur.*

SECT. IV. *Quod ex occaſione Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, diſtincta à politica, introducta in orbem Chriſtianum à fabris myſterii iniquitatis, paſtores Euangelici ineunte reformatione, dum ſe veſtiunt poteſtate chimerica, vana & inutili, qualis eſt poteſtas perperam dicta Eccleſiaſtica, exciderunt poteſtate reali, quæ ipſis ex æquo cum Regibus, Magiſtratibus & Principibus populi, ac Iudicibus debetur.*

SECT. V. *Strictura in aliquot loca Voetii.*

SECT. VI. *Epilogus.*

CAPUT I.

Titulus libri aſſeritur & aſtruitur.

SECTIO I.

Poteſtas Eccleſiaſtica Voetiana concordat cum ea poteſtate, quæ eſt tradux myſterii iniquitatis.

POſtquam LUDOVICI MOLINÆI *Paraneſim ad Ædificatores Imperii in Imperio*, eique ſubjunctum *Corollarium* perlegiſſem, planè pervictus ab eo, obfirmatus ſum in ea ſententia, Juriſdictionem quam vocant Eccleſiaſticam, non tantum eſſe humanum figmentum, ſed & per eam Satanam telam ſuam orſum fuiſſe myſterii iniquitatis, quod quidem Imperium eſt terrenum Papæ, incœptum, auctum & habitum ſub involucro & fuco poteſtatis Spiritualis & Eccleſiaſticæ: In quo quidem opere nulla fraus eſt fingendo poteſtatem Spiritualem quaſi nuſquam eſſet, nec ædificando imperium nomine tenus terrenum, ſed veſtiendo id Imperii terreni nomine & titulo veræ poteſtatis Spiritualis: nam certum eſt dari & imperium terrenum, quale eſt Imperium Turcæ & Papæ, & poteſtatem affixam verbo, cujus paſtores ſunt miniſtri & præcones. Ut jam fraus Papæ non ſit in fingendis vocabulis ſine re: quo morbo utinam *Clariſſimus Voetius* non laboraret, dum nobis fingit Chimeram & μορμολυκεῖον poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ, nec ipſo fatente Magiſtratûs eſt poteſtas, nec eſt illa poteſtas verbi, quâ Pontificii incruſtant ſuum Imperium terrenum.

Hinc ergo liquet, juriſdictionem VOETIANAM mere chimeram eſſe & figmentum humani cerebri, quod non pertineat, nec ad juriſdictionem verbi, quæ tota interna eſt, nec ad externam, quæ eſt Magiſtratûs. Non ad internam, quæ animum per ſe & primò ferit, & quæ in volentes tantum ſe exerit, quæque vim acquirit à veritate, juſtitia, & æquitate legum & cenſurarum, non verò à poteſtate armata atque à numeroſiori turba in eas leges & cenſuras concedentium. Sed nec VOETIUS patitur ſuam poteſtatem pertinere ad claſſem laicæ & cogentis poteſtatis, quæ eſt Magiſtratûs, quanquam ſi rectè ratio putetur, planè eadem ſit, atque ejuſdem naturæ, ſitque perinde armata; quandoquidem poteſtas VOETIANA ſe ex æquo cum poteſtate Magiſtratûs exerat in-nolentes, eoſque, quos ea poteſtas non pervicerit: quis enim ultro velit, aut excommunicari, aut exauctorari? tum non aliter imprimat validitatem ſuis canonibus quam poteſtas civilis ſuis Legibus: Cum harum & illorum juxta vigor, vis & virtus non conſiſtant in bonitate, juſtitia, & æquitate ſuarum conſtitutionum, ſed in majori numero decernentium: tum eadem lex aſtringat ex æquo eum qui pars eſt Synodi, & illum qui in turba Senatorum ſedet ad parendum huic canoni, qui eſt regula fixa omnibus cœtibus, tum Eccleſiaſticis tum civilibus, *quod à majori parte decretum eſt ab omnibus tuendum*: atque ea regula ſemper obtinuit etiam in Synodis, ut Epiſcopi tenerentur omnibus parere canonibus, etiam non Orthodoxis, nec cum veritate Divina concordantibus, ſed illis qui vim canonum obtinuerunt à majori numero ſuffragantium. At hæc regula quæ concordat cum poteſtate VOETIANA pugnat cum poteſtate verbi, quæ eſt ſola & vera paſtorum, pugnat & cum potentia illa ad Salutem, tum cum officio, aut paſtoris, aut viri Chriſtiani, qui hoc arctè tenet, ne ſuam fidem mancipet obſequio multitudinis. Oportet ergo ut poteſtas quam tuetur VOETIUS ſit nulla, aut pertineat ad poteſtatem Magiſtratûs; quod probare nobis

nobis incumbit tota hac diſſertatione; imo oportet ut gemina & germana ſit poteſtatis illius, cujus myſterium iniquitatis (de quo Sᵗᵘˢ Paulus mentionem facit in 2. Epiſtola ad Theſſalonicenſes) eſt tradux, non quod ſit perinde iniqua; nulla enim iniquitate laboraret poteſtas (ejuſdem naturæ cum poteſtate Magiſtratûs) habita in conſiſtoriis & ſynodis, niſi quod facit Papa Romanus, eam quoque VOETIUS incruſtaret fuco poteſtatis ſpiritualis & Eccleſiaſticæ.

Magna quidem iniquitas eſt in Papa, ædificaſſe imperium terrenum in Reges & Magiſtratûs: at nulla eſſet iniquitas in VOETIO, aut in Verbi Dei miniſtris, uti in Eccleſia, tum in ſynodis & conſiſtoriis, poteſtate ordinis humani, analogâ poteſtate Magiſtratûs, tanquam ancilla & pediſſequa poteſtatis illius cœleſtis & Divinæ, quæ ſe per miniſterium verbi exerit. Verum par eſt fraus in Papa Romano & Papa Ultrajectino, colore poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis inficere poteſtatem civilem & politicam, quæ ab utroque habetur & exercetur.

Sanè quicunque agitantur & celebrantur cœtus eccleſiaſtici, ſeu ſynodales, ſeu conſiſtoriales, non aliâ poteſtate reguntur (præter illam, per quam homines vel formantur ad fidem, vel firmantur in fide) quam quæ eſt juris communis, & ordinis naturalis ac humani.

Quocirca omnes cœtus eccleſiaſtici qui non celebrantur ad cultum Divinum, ſed ad capita conferenda de legibus eccleſiaſticis condendis, de conſtituenda diſciplina, de cenſuris decernndis, tam ſunt civiles & politici conventus, quam quivis alii: unde conficitur, tam abſurdum & inficetum eſſe, aſcribere aut paſtoribus, aut fideli populo in cœtum congregato extra opus & officium, aut concionandi, aut audiendi verbum & participandi ſacramenta poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Societatibus aut Collegiis, puta medicorum medicam, mathematicorum mathematicam, militum militarem, fabrorum fabrilem, mercatorum mercatoriam aſſcribere poteſtatem: nam licet

omni tempore, ſeu ſub lege, ſeu ſub Euangelio, Levitis & Sacerdotibus, Prophetis, Paſtoribus, Epiſcopis, & Miniſtris ſua fuerit ſeorſim, tum demandata à Deo functio, quam vel reluctantibus poteſtatibus humanis exequi tenebantur, tum poteſtas per eam exerta, per quam homines ex infidelibus fiunt fideles: attamen nulla unquam juriſdictio externa, diverſa à juriſdictione humana, illis attributa fuit, priuſquam myſterium iniquitatis caput extolleret per revelationem Papæ, qui eſt verus Antichriſtus licet non ſolus.

Namque tota myſterii iniquitatis fabrica & tela incœpta, aucta, ulterius provecta, & ad ſummum faſtigium adducta fuit per juriſdictionem Eccleſiaſticam, cujus involucro & fuco Papa ædificavit & retinuit ſuum imperium terrenum in Reges, Magiſtratûs & Populos, ſub cujus robore & pompa, oculos fatuorum ut eſt plerumque Romanum vulgus, perſtringente, romanæ doctrinæ ceremoniæque vel futiliſſimæ tutò conquieſcunt, & pretium ac authoritatem acquirunt: Cum alioquin ſordeſcerent, niſi tanquam vilis gemma auro iſti fulgenti aptarentur.

Porro myſterium illud, non fuit opus unius diei, nec recens: nam jam cœperant ejus primordia tempore Pauli, cum Diotrephes arripuit in collegas authoritatem: atque is primus fuit lapis in ædificio Papæ poſitus, ut non tantum paſtores per juriſdictionem Eccleſiaſticam ſe efferrent ſupra hæreditatem Domini, ſed & paſtor in paſtorem ſibi arrogaret imperium, donec Papa per hanc ſcalam poteſtatis conſcenderet ad id faſtigii quod hodie occupat.

Primum ergo rudimentum & molimen fuit imbibere animos hac perſuaſione, Deum, præter, tum poteſtatem internam ſeu potentiam illam verbi, per quam homines perducuntur ad fidem & ad ſalutem, tum præter ſummarum poteſtatum juriſdictionem, per quam regunt ſuis legibus rempublicam, inſtituiſſe mediam poteſtatem ſeu juriſdictionem Eccleſiaſticam & ſpiritualem, ſeu forum externum Eccleſiæ, à civili diſtinctum & independens, in

quo,

Digitized by Google

quo verbi Dei miniſtri regunt Eccleſiam, & ſedent Judices & legiſlatores, ſeu Epiſcopi, ſeu inferioris ordinis paſtores Eccleſiarum, propter poteſtatem clavium (ſeu ligandi & ſolvendi) in eos collatam à Jeſu Chriſto in eum finem, ut gubernent cœtus Chriſtianorum ἀνυπευθύνως, nemini præter quam Deo reddendis rationibus obnoxii.

In eo molimine diu immorandum fuit dum hæc urſa lambitur, opportuit ora ſecularium poteſtatum ſublinire; illis fucum facere, ut veneratio intenderetur ordini Eccleſiaſtico, illique ſeorſim juriſdictio tribueretur. Nam cum primus omnium Conſtantinus Magnus conſulturus paci Eccleſiarum, & ſecuritati Chriſtianorum, eoque potiſſimum conſilio, ut à capite fidelium averteret iniqua Ethnicorum Judicia, inſtituiſſet paſſim in imperio tribunalia Eccleſiaſtica, quibus plerumque præerant Epiſcopi, factum eſt temporis lapſu, ut etiam, poſtquam tribunalia ethnica facta eſſent Chriſtiana, nec amplius ullus uſus eſſet iſtorum tribunalium Eccleſiaſticorum, ordo Eccleſiaſticus mordicus retineret ſua tribunalia, quin ad ſe pertinere de Jure Divino affirmaret, & diſtrictè ſuis Imperatoribus ediceret, non eam mentem fuiſſe Conſtantino Magno, nova & inaudita erigere tribunalia Eccleſiaſtica, ſed tantum reddere Eccleſiaſticis quod ipſorum erat, quodque à Chriſto authore & inſtitutore acceperant, at nunc retinent vi & poteſtate clavium tum ligandi & ſolvendi.

Poſtquam ergo primum hoc molimen Eccleſiaſticam poteſtatem ſeorſim attribuendi Epiſcopis, Paſtoribus & toti ordini Eccleſiaſtico ex voto ſucceſſit, ſecundum molimen fuit, ſiquidem duæ juriſdictiones ejuſdem re ipſa naturæ, ut ut vocabulis diſcrepent, inſociabiles eſſent, ut civilis Eccleſiaſticæ ſubjiceretur, ejuſque cenſuris cujuſcunque ſtationis & ordinis homines, ipſique Reges, & Imperatores ſubmitterentur, æquius exiſtimantibus ædificatoribus Imperii in imperio ut juriſdictio humana potius ſubordinaretur Divinæ, quam hæc illi manciparetur, eoque magis rationi congruum cenſentibus, ut uni Eccleſiæ Catholicæ

una juriſdictio aptetur; tum æquius, unam integralem, totalem & tam late diffuſam juriſdictionem quam eſt orbis Chriſtianus, habere ſuo Imperio, ſaltem ſuæ diſciplinæ, & ſuis Legibus obnoxias omnes Chriſtianorum dynaſtias, quæ in plures reſp. regna & Imperia abiverant, quam ſi ea juriſdictio tam latè patens uni pareret dynaſtiæ, anguſtis limitibus concluſæ.

Duobus hiſce moliminibus ſemel probatis populo Chriſtiano, nihil magis cum ratione concordans, nihil æquius excogitari potuit quam tertio molimine, uni Eccleſiæ Catholicæ, unâ juriſdictione Eccleſiaſticâ animatæ, unum vel caput vel monarcham, ſaltem protopræſidem affigere: nam nec id alienum viſum fuit VOETIO facere in Eccleſia Judaica quæ tum erat eccleſia catholica: nam ille vult cum Bellarmino & Baronio, eccleſiam ſuum habuiſſe monarcham & principem, nempe ſummum Sacerdotem, cui probe congruit antitypus Papa in eccleſia Chriſtiana, quod tamen pronunciatum à VOETIO tam falſiſſimum eſt, quam miſſa Pontificia. Bone Deus quo non abripiuntur viri pii, qualis VOETIUS, Imperii amore, cujus deſiderium ut ait Tacitus, tunica eſt, quæ primò aſſumitur, & ultimò exuitur. Ea eſt tunica VOETII minus congruens ejus corpori quam Papæ.

Sanè, ſiquidem æquum ſit dari unicuique eccleſiæ particulari, perinde ac unicuique regno, reipublicæ & dynaſtiæ ſuos præfectus, præſides & præpoſitos, quidni quoque eccleſiæ catholicæ ſuus debebitur præpoſitus, ſeu papa, ſeu alius, ſive ille tantum habeatur præſes & moderator eccleſiæ, ſeu centrum communionis credatur atque fons & origo, omnis poteſtatis eccleſiaſticæ?

Et ſiquidem omnes Reges & Magiſtratûs ſint membra eccleſiæ catholicæ, quis non videat æquius eſſe, ut ad bonum univerſale tribunali eccleſiæ catholicæ, cui papa præeſt, ſe ſubjiciant, ipſius legibus obtemperent, quam ſi hocce tribunal

eccle-

eccleſiaſticum atque univerſale ſe ad rationes unius ex poteſtatibus ſecularibus attemperaret?

Certè præſuppoſitâ juriſdictione eccleſiaſtica (tam late patente quam eccleſia catholica) cui papa tanquam caput corporis affixus ſit, planè magis rationi & æquitati conſentaneum eſt, ut Regis Gallici rationes rationibus papæ accommodentur, ipſi ſit ſubditus papæ, quam ſi papa ad rationes Regis Galliæ ſtatum eccleſiæ catholicæ rationes componeret, quod ſanè maximam in orbe confuſionem pareret.

Et quandoquidem juriſdictio Eccleſiaſtica & ſpiritualis non ſit circumdata limitibus ſtatus certis & fixis, quemadmodum civilis & temporalis, quidni tribunal ſummum iſtius juriſdictionis Catholicæ ſibi aſſumeret par & æquum privilegium in tota univerſitate, cum privilegio quod ſibi tribuit conſiſtorium præſulum & Epiſcoporum, cogendo ſibi ſubditos legibus ſuis, quemadmodum factitatur à tribunali particulari? namque hæcce ſunt conſectaria introductæ in orbem Chriſtianum juriſdictionis eccleſiaſticæ.

Quartum molimen & ἀκρωτήριον ſummumque ædificii hierarchici faſtigium, quoque Papa Regum & populorum ora ſublinivit, fuit id Imperii terreni habere & retinere ſub ſpecioſis vocabulis juriſdictionis eccleſiaſticæ & ſpiritualis, cujus Papa eſſet caput, fons & origo. Sub hoc involucro juriſdictionis Eccleſiaſticæ & Monarchiæ ſpiritualis Papa prodit ſe verum Antichriſtum, ſedentem in Templo Dei, cui Reges & Principes *Apocal.*
tradiderunt ſuam juriſdictionem, per quam regium & terrenum ſibi ſolium poſuit quoad vim imperii: planè geminum *17. verſ. 13.*
& germanum illius, quod Auguſtus ſibi firmaverat; Licet, illud (ne aut furtum, aut injuſta alienæ dominationis occupatio diſpaleſceret) ſub ſpecie Divini & ſpiritualis imperii habeat & retineat: ut qui ſibi ut Antichriſto (id eſt, vicario Chriſti; locum retinenti ut etymon Antichriſti denotat) Divinos honores arrogat & ἀναμαρτησίαν.

Illud

Illud eſt verum myſterium Iniquitatis, de quo S^{tus} Paulus 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. quod implevit Antichriſtus ſeu filius perditionis, primum INIQUITATE, dum occupavit Imperium terrenum Romanorum Imperatorum, & invaſit in jura & juriſdictionem Regum & Principum mundi, dein MYSTERIO, quatenus ſub larva & pigmento juriſdictionis Spiritualis & Eccleſiaſticæ cujus promus & condus eſt, hocce Imperium Romanis Imperatoribus ereptum, poſſidet.

Profectò niſi hactenus Proteſtantes quorum nunc agmen ducit VOETIUS, uſque adeo retinentes fuiſſent juriſdictionis Eccleſiaſticæ, tum excommunicationis, dudum corruiſſet Hierarchia Romana, Imperiumque Papale, quod ſola hac columna nititur, hoc enim ſolo idolo quod Romanenſes & noſtri juxta colunt, non tantum veneratio & authoritas conciliatur Eccleſiæ & Hierarchiæ Romanæ, tum Doctrinis Romanenſibus vel impiiſſimis & futiliſſimis, ſufficitur materia, liſque protelatur in infinitam diſputandi de poteſtate & primatu Papæ, de infallibilitate Eccleſiæ, & Synodorum œcumenicarum, & ſucceſſione cathedrarum, probabilibus ex æquo hinc & inde argumentis: inter quas concertationes, dum ubique ſolus abuſus juriſdictionis Eccleſiaſticæ damnatur, nec ejus uſus abjudicatur à paſtoribus, ac proinde nec à Papa, non mirum ſi qui ſe dicit paſtorum principem ſibi Imperium ſervat. Cum tamen per ruinam Eccleſiaſticæ juriſdictionis finis tam hiſce controverſiis quam Imperio Papali imponeretur, nec quicquam per ejus excidium; nec de integritate fidei, nec de vigore diſciplinæ Eccleſiarum à Papiſmo reformatarum decederet. Detractâ enim larvâ, & amoto tectorio Spiritualis & Eccleſiaſtici quo Papa ſuum Imperium incruſtat, & conciliat authoritatem Religioni Romanæ, ſtatim Papa, prodens ſe terrenum Monarcham in Imperio alieno, debellabitur à Regibus conſortis aut domini impatientibus, unàque cum papa ruet ejus religio. Profectò pœne in eam ſententiam diſcedo, ut credam, præjudicium de opinione

opinione juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quo optimi quique obnubilantur, eſſe illud obſtaculum de quo S. Paulus 2. ad Theſſal. 2. præpediens ne myſterium iniquitatis laxato velo revele-tur. Illud eſt myſterium iniquitatis quod vellet VOETIUS redivivum, introducendo in Eccleſiam Chriſti pure & inculpatè reformatam juriſdictionem, paria in pleriſque cum papali facientem, per quam Papa ſibi & ædificavit & retinuit Imperium in Imperio alieno; at juriſdictionem in nullum uſum.

Nam quid prodeſt poteſtatem in Eccleſia habitam jure Divino naturali, & per diſciplinam confœderatam, eandem cum poteſtate Magiſtratûs vocare ſpiritualem & eccleſiaſticam, niſi eadem mente & eodem conſilio quo Papa juriſdictionem Magiſtratûs inſignivit vocabulis juriſdictionis eccleſiaſticæ, nempe ut ſeorſim & independenter eam incognitam poſſideret à Magiſtratus: nam id ipſum eſt incœptum & molimen VOETII qui ubique aſſerit, poteſtatem Magiſtratûs nullam eſſe nec in Eccleſia, nec in Eccleſiam: Paſtores vi functionis paſtoralis facultatem habere convocandi ſynodos, condendi canones, ad eorum obſequium obligandi judicio plane ſeparato, & Magiſtratui reddendis rationibus non obnoxio: in ſumma penes Paſtores, eſſe in Eccleſia jus νομοθεσίας.

Cumque omnis ordo humanus adhibeatur ad regimen Eccleſiæ, ut ſit quaſi fidei munimentum, & per eum immorigeri in arctum cogantur; quodnam accedit emolumentum fidei integritati & paci Eccleſiarum, ſi diſciplina quæ purus & putus eſt effectus humanæ prudentiæ, potius circumferatur tanquam actus functionis paſtoralis, poteſtatiſque Divinæ & cœleſtis, qualis eſt miniſtrorum verbi, niſi eo conſilio ſed malo, nempe ut morbi humanæ poteſtatis, ut ſunt error judicii, ſua cuique utilitas, ſtudium partium, factio, ignorantia recti, quæ in ſynodis & conſiſtoriis, heu nimium! dominantur, accenſeantur morbis cœleſtis & ſpiritualis poteſtatis, in quam error non cadit, cum ſcopum deſtinatum ſemper collimet, ligetque

B quod

quod Deus ligare decrevit, ſolvatque eos per miniſterium verbi, quorum ſolutionem Deus ratam eſt habiturus?

Sed nihil magis docet poteſtatem quam VOETIUS tuetur, eſſe genuinam & germanam poteſtatem illius quam Papa poſſidet in Magiſtratus, ſuum illis eripiendo, alienum verò aſſumendo, quam conſideratio ſequentium hypotheſium; nempe

1. Omnem poteſtatem eſſe vel ſummam vel ſubalternam.

2. Summam poteſtatem de qua S. Paulus Rom. 13. eſſe illam poteſtatem, eamque ſummi Magiſtratûs poteſtatem.

3, Illam poteſtatem unam eſſe in una rep. & uno adminiſtratâ conſilio, licet in ſummam & ſubalternam dividatur.

4. Tum uno conſilio, eâdemque poteſtate regi Eccleſiam qua gubernatur Reſpublica. Siquidem ut ait Optatus, Reſpublica non ſit in Eccleſia. Sed Eccleſiâ in Republicâ.

5. Eam poteſtatem eſſe armatam & cogentem, cujus actus tum in Republica, tum in Eccleſia ſint imperare, vetare, permittere & punire.

6. Cognoſcere de omni cauſa, per quam externæ actiones hominum coguntur, ſeu in Republica ſeu in Eccleſia.

7. Omnem poteſtatem ejuſdem naturæ habitam, ſeorſim & collateraliter & independenter à ſummo Magiſtratu (quod facit VOETIUS) eſſe injuſtam vendicationem, & occupationem juris alieni.

Atque quiſquis ad ſtateram harum hypotheſeωn appenderit juriſdictionem eccleſiaſticam VOETIANAM, ultro fatebitur ſobolem eſſe juriſdictionis Romanæ.

Id

SECTIO II.

Id explicatius aſtruitur. Poteſtas Eccleſiaſtica Voetiana nuſquam audita, aut intellecta eſt, nec ſub Lege, nec ſub Evangelio, priuſquam Papa caput efferret, à prima erectione tribunalium Eccleſiaſticorum à Conſtantino, optimo conſilio & optima mente; acceptam occaſionem ab ædificatoribus myſterii iniquitatis, introducendi poteſtatem perperam dictam Eccleſiaſticam, jure Divino diſtinctam à Politica.

MAgnum eſt αἴτημα, quo pene ſolo pede nititur poteſtas Eccleſiaſtica, ſub legali œconomia regimen Eccleſiaſticum diviſum fuiſſe à politico, cum tamen non ſolum habeat ſacram ſcripturam repugnantem, ſed & turbam ingentem virorum doctorum, tum Romanenſium, tum Proteſtantium: ut, Chamieri, Molinæi, Riveti, Meſtrezatii: Sanè Molinæus cap. 19. Monarchiæ temporalis ait, nec Levitas, nec ſummum Pontificem alio jure uſos fuiſſe in Republica Iſraëlitica quam communi, nec habuiſſe Eccleſiaſticos judices diverſos à Civilibus: in eadem ſententia eſt Rivetus, quam tuentur omnes Judaicarum rerum periti, Bertramus, Sigonius, Buxtorfius, Seldenus, Cunæus. Sed per ſcripturam ſacram locupletem teſtem conſtat liquidò Eccleſiam & Rempublicam Judaicam in unum ſemper corpus coaluiſſe, nec diſtinctis aut ſeparatis Judiciis & viris gubernatas unquam fuiſſe.

tom. 1. oper. in folio pag. 1373. Cunæus lib. 2. cap. 9. de rep. hebr.

Locus Deut. 17. omnem dubitationem tollit, ubi Doctores Pontificii, Toſtatus, Nicolaus de Lyra, & Cornelius à Lapide agnoſcunt agi de uno judicio in quo quævis cauſæ diſceptabantur, junctis capitibus, Sacerdote ſummo & loci Judice: Locus verò 2. Chron. 19. de Amaria præpoſito negotiis & judicio Jehovæ & de Zebadia præpoſito negotio Regis, tantum abeſt, ut faveat VOETIO, ut planè jugulet ejus

poteſtatem Eccleſiaſticam. Nam quod Joſaphat præfecit propriâ authoritate utrumque, eatenus aſtruit poteſtatem Regis in utrumque: Tum vocabula Judicii Dei, materia quæ est de ſanguine, litibus, & controverſia inter fratres, edocet per judicium Dei non aliud intelligi quam judicium & imperium Dei in populum Dei & Rempublicam Judaicam, cujus magno concilio præeſſe debebat Amaria, qui ut Pontifex ſummus præſidere ſolebat ſaltem ſæpius non negotio Regis ſed ſynedrio 71. virorum, nam Judicium Dei fuit ſemper ejuſmodi, etiam antequam Reges conſtituerentur, at negotium Regis & negotium Reipublicæ non potuerunt eadem eſſe, ubi nullus Rex.

Porro cum exemplar populi Iſraëlitici jugularet poteſtatem Eccleſiaſticam diſtinctam à poteſtate Magiſtratûs, omne molimen VOETII fuit eas ex æquo dividere ſub legali œconomia ac ſub Evangelica: licet habeat repugnantes magnam turbam Pontificum & Proteſtantium, imo eorum qui pariter cum eo ſunt vindices poteſtatis Eccleſiaſticæ: inter quos Triglandius c. 12. *quare in Teſtamento veteri qui capita erant Reipublicæ, erant & capita illius populi ex quo tota Eccleſia conſtabat: quia Eccleſia tum temporis erat in ſolo iſto populo.* Sed ut diviſionem juriſdictionum ſub N. Teſtamento minus repugnantem habeat œconomiæ Iſraëliticæ, ſubjicit, varios Magiſtratus, quandoque fideles, nonnunquam infideles, ſub quibus eſt Eccleſia Chriſtiana, in cauſa eſſe, cur debeat juriſdictio Eccleſiæ diverſa eſſe à juriſdictione civili, unum verò Magiſtratum debuiſſe præponi populo Iſraëlitico. Sed hæc ratio plane abſurda eſt: namque conſtitutio Divina de idemtitate juriſdictionis in populo Iſraëlitico fuit ſemper perpetua etiam ſub Dominis infenſis, imò pluribus, ſub quibus, cum carerent Magiſtratu fideli, ſibi erexerunt unum per diſciplinam confœderatam: quidni idem præſtari debeat ſub Evangelica œconomia? quidve impedit? Sed ubi habet VOETIUS quod ait, Eccleſiam Iſraëliticam ſeparatam

ratam fuiſſe perſonis, regimine & legibus à Republica, illamque habuiſſe formam regiminis mixtam ex ariſtocratia, & monarchia: hæc quidem in ſummo Sacerdote, quod ſanè falſiſſimum eſt (dictumque ab eo non inſcitiâ, ſed amore quo deperit ſuam juriſdictionem eccleſiaſticam) ea ipſe ſummus Sacerdos ut plurimum eſſet Princeps & caput magni ſynedrii, quod quidem, oportet aut dicat fuiſſe conventum eccleſiaſticùm, aut afferat duobus corporibus eccleſiaſtico & civili unum fuiſſe affixum caput. Sed ſi ſynedrium magnum fuit eccleſiaſticum, tunc debuiſſet ſummus Sacerdos illi perpetuò præſidere, ut vult VOETIUS, dum Monarcham facit eum Eccleſiæ; quod tamen Maimonides negat.

Sed nec ſub Evangelica œconomia ethnicis Imperatoribus in Eccleſiam ſævientibus comperta erat illa diviſio poteſtatis in eccleſiaſticam & civilem; regebantur Eccleſiæ quoad regimen externum per diſciplinam confœderatam. Paſtores & Epiſcopi vacabant orationi, doctrinæ & adminiſtrationi ſacramentorum: ſed ipſi non exercebant juriſdictionem diverſam à juriſdictione Iſraëlitici populi; nec hi nec illi juriſdictione utebantur, quæ non eſſet juriſdictio cujuſcunque Societatis & juris communis in quo omnis ordo humanus fundatur.

Porro materia circa quam verſabatur hæc juriſdictio non erat magis Eccleſiaſtica quam civilis. Siquidem Paſtores, Præpoſiti, & Seniores de omni lite & controverſia cognoſcerent, quæ vertitur in foro civili, ut jam ſi eorum juriſdictio non eſt eccleſiaſtica ratione functionis, neque etiam talis eſſet ratione objecti: id innuit S. Paulus 6. capite ad Corinthios, ubi jubet idem factitari in Eccleſia ad litium compendium, quod in foro civili, cauſas & controverſias componendo per compromiſſum, & amicè interventu ſeniorum & arbitrorum, quæ per viam longam, jurgioſam, oneroſam, judicii, lictorum, & carcerum decidebantur apud judices ſeculares.

Hunc morem fuiſſe inter Eccleſias docent Patres. vocabant illos judices compromiſſarios : Ambroſius Seniores: Chryſoſtomus authores reconciliationis καταλλαγῆς αἰτίους. Ipſi Pontificii , ut Toſtatus , agnoſcunt illos Seniores cognoviſſe de omni cauſa , licet ultimum judicium controverſiarum pertinuiſſe velint ad Epiſcopos. Lorinus Jeſuita utrumque affirmat in Deut. 17. *ſub initium Eccleſiæ* (inquit) *cauſæ cujuſcunque generis quæ agitabantur inter Chriſtianos.*

Huc uſque juriſdictio eccleſiaſtica caput non extulit, ſed poſtmodum ex occaſione erectionis tribunalium Epiſcopalium & Eccleſiaſticorum ab Imperatoribus conſtitutorum paſſim in Imperio, primo eorum authore Conſtantino Magno, poſteaquam ſe ad Chriſtianorum cœtus aggregavit, unde factum eſt ut eædem cauſæ quæ per diſciplinam confœderatam agitabantur, ſæpe damnoſis conditionibus, mox ſub ethnicis Imperatoribus, majori cum authoritate, libertate, ſucceſſu judicii, tum æquitate & maturitate abſolverentur & ſopirentur ſub Chriſtianis Imperatoribus, coram judicibus, tum amicis, tum Chriſtianis.

Ex eo Epiſcopi, qui antea imprimis vacabant doctrinæ & orationi, rejecto onere (ſine honore) litium & controverſiarum inter Chriſtianos in Seniores Eccleſiæ, ubi ſe viderunt ab Imperatoribus admotos judices tribunalibus Eccleſiaſticis; atque Imperatoriâ authoritate honoris auctario illuſtriores ſe conſpexerunt, cœperunt criſtas erigere, & cum tribunalia ipſorum dicerentur eccleſiaſtica, ſuam quoque poteſtatem meritò dici eccleſiaſticam crediderunt, & eo nomine gloriati ſunt; cumque antea poteſtas Epiſcoporum arctis cancellis concluſa eſſet in ſolos volentes, Epiſcopus verò tantum primus ordine cenſeretur in collegio preſbyterorum, non verò juriſdictione, factum eſt, poſtquam ſe nova authoritate decoratos & munitos viderunt, ut grandiores agitarent, ſe ſuamque poteſtatem in populum Chriſtianum & Collegas inflatis buccis prædicarent,

non

non tanquam ab Imperatoribus, ſed à Chriſto habitam.

Hinc primò ortam Eccleſiaſticam jurìſdictionem ordinis Eccleſiaſtici in populum Chriſtianum, & Epiſcopalem ὑπεροχὴν, & juriſdictionem in Preſbyteros, facilè colliget quiſquis perlegerit Eutychii hiſtoriam arabicam, tum acta Concilii Niceni, Codicem Theodoſianum & Novellas Juſtiniani: nec dubitabit illam juriſdictionem primo collatam à Conſtantino Magno, quanquam non ea mente ut juriſdictio eſſet diſtincta & independens à civili, ejuſque cauſæ magis eſſent Eccleſiaſticæ quam civiles. Sanè Eutychius & acta Concilii Niceni docent longè aliis rationibus inductum fuiſſe Conſtantinum, ut veſtiret Epiſcopos Juriſdictione vel in populum Chriſtianum, vel in collegas. Sic enim loquitur Conſtantinus.

Etſi præcipuum Pontificis, ſeu Epiſcopi munus eſt, doctrinâ verbi populum moderari: tamen quia non omnes dicto-audientes ſunt, nec ejuſmodi perſuaſione ad diſciplinam perduci, vel in officio retineri poſſint, & ſuperioritas in qua ſunt Eccleſiaſtici abſque Imperio & Juriſdictione non ſatis habet nervorum & authoritatis. Denique quoniam Eccleſia mater & cultrix eſt Juſtitiæ, Ideo Epiſcopis peculiaris quædam Juriſdictio Eccleſiaſtica, civili dignior in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas legibus Imperatoriis eſt attributa, ut jus dicant Clericis. Codex de Epiſcopali audientia ſubjungit *præterea jus dicant Laicis*

Paria pene dicta à Conſtantino patribus Concilii Niceni. Idem Eutychius refert: cum enim illis ſignificaſſet, eos non alia authoritate præditos, quam perſuaſionis, ac proinde vix fieri poſſe ut eorum canones reciperentur à populis imperii ſui tanquam regula obſequii & fidei, priuſquam authoritate munirentur canones condendi, educto gladio, menſæque impoſito unà cum annulo & ſceptro, *do vobis inquit poteſtatem canones condendi &c.* Atque hæcce non ſolum inſinuant ſed & expreſsè dicunt

1. Cum paſtoribus ſola eſſet authoritas perſuaſionis, data à Chriſto,

Chriſto, indultam inſuper ab imperatore authoritatem imperii & juriſdictionis, quæ cogeret vi, & traheret etiam nolentes qui perſuaſione duci nolunt.

2. Pariter cum antea non alia eſſet authoritas Epiſcoporum in, Preſbyteros, quam perſuaſionis, datum illis ut deinceps haberent in eos authoritatem juriſdictionis.

3. Datum etiam ut juriſdictio eccleſiaſtica dignior cenſeretur civili.

4. Item ut poteſtas eccleſiaſtica diſtingueretur à poteſtate quam ſuſtinent laici.

Cœcus ſit, qui non inde animadvertat, imo non videat, juriſdictionis eccleſiaſticæ primam originem & nativitatem. Hic enim Conſtantinus non tantum juriſdictionem dat, & clero in populum Chriſtianum, & Epiſcopis in preſbyteros, ſed eam juriſdictionem vult digniorem cenſeri civili. Unde non mirum ſi ex tanta indulgentia, poſtmodum concidente Imperio, & Papâ inter ejus ruinas ſuum ædificante, ſub fuco ſpiritualis imperii & juriſdictionis eccleſiaſticæ, ſpecioſam arripuerit anſam non ſolum duplicem juriſdictionem aſtruendi jure Divino & humano, ſed & alteram ſibi vendicandi, tum ſe & ſuam juriſdictionem per legem Conſtantini digniſſimam ac nobiliſſimam ac ſeorſim ac ſeparatim habitam, præponendi juriſdictioni regum & magiſtratuum, hancque ſuæ mancipandi.

Sed hæc fraus craſſiori eſt filo conſuta quam ut non dignoſcatur, neque enim credidit Conſtantinus, cum contulit juriſdictionem in viros eccleſiaſticos, ſe, quod eorum eſſet, reddere veris dominis, quaſi de jure Divino & per legem Chriſti ad eos pertineret aut functioni eccleſiaſticæ competeret. Sed nondum eo tempore equus ille juriſdictionis eccleſiaſticæ erat ephippiatus, nec ſic adornatus, ut ſeſſorem Papam poſceret aut ferret.

Sic per inconſultam bonitatem & quaſi aliud agens Conſtantinus

tinus, ædificavit juriſdictionem Eccleſiaſticam, quæ mox crevit per ruinas Imperii; donec tandem Papa ei aſſueretur caput; qui quidem diu habuit ſuam juriſdictionem Eccleſiaſticam à politica diſtinctam: quanquam nomine tantum tenus, cum ſemper tam fuerit politica, quam in primo ortu ſuo tempore Conſtantini; nec tamen diviſas voluit, niſi eo conſilio, ut ex duabus unam aliquando faceret, hoc eſt manciparet juriſdictionem civilem Eccleſiaſticæ. Id fuit maximum Paparum molimen ſeculis nono, decimo & undecimo paſſim in Germania, Gallia, ac Anglia, cum caligo magna ignorantiæ terris incubaret, cumque omnia regna quæ nomen Papæ dederant videbantur tranſitura in rectum dominium Papæ; clero ubique obſidente Reges & Principes, & comvertente Laicorum bona & patrimonia; tum implente curias, tribunalia civilia, domos magnatum, imo virorum conſularium, ipſorumque cauſidicorum, tanquam eorum mente oculis & manibus, ut nulla domus eſſet in qua non eſſet clericus, dum ipſi Laici regesque, non niſi precariò regnarent, & ad nutum ſacerdotum:

Quin ut omnes Curiæ & fora civilia conſtabant viris tam de gente Sacerdotali, quam de Laica, ſic etiam Synodi erant quaſi conventus politici, in quibus materia canonum, non ſolum eſſet de fide & de diſciplina Eccleſiaſtica, ſed etiam de ponderibus, menſuris, de mercatibus & nundinis, ut legere eſt in Concilio VI. Pariſienſi: cujus 50. canon imponit modum modio & Sextario, & in concilio Rhemenſi & Matiſconenſi. *anno 813. c. 3.*

Sed cum natio Laicorum, cujus Rex caput erat & princeps, ſemper numeroſior eſſet clero, timeretque Papa, ne imperium Eccleſiaſticum concederet in Politicum, neve Terrenum abſorberet regnum Eccleſiaſticum, in eam maximè curam incubuit Gregorius VII. ſeculo undecimo, ut denuo conventus Eccleſiaſtici diſtinctius, ubique in Germania, Gallia, & Anglia caput efferrent: de qua re poterit Seldenus con-

Digitized by Google

ſuli notis ad Eadmerum, ubi diploma habetur Guillielmi I. de habendis ſeparatis & diſtinctis in poſterum curiis & tribunalibus, Eccleſiaſtico & Civili.

SECTIO III.

Poteſtas ſimilis Voetianæ incognita Patribus.

Deſcendamus ad tempora quæ proximè exceperunt Conſtantinum Magnum, in quibus magna lumina vixerunt, Patres nempe, ad quorum cognitionem pertendo nunquam perveniſſe poteſtatem VOETIANÆ ſimilem, ſive in concilio conſiderent; ſeu extra concilium & domi, aut in cœtu Preſbyterorum negotium miniſterii agerent. Sanè crediderunt, licet Synodi eſſent cœtus Eccleſiaſtici, tum quod de materia Eccleſiaſtica, de fide & diſciplina Eccleſiarum tractarent, tum quod conſtarent Viris Eccleſiaſticis, attamen formaliter mere conventus fuiſſe politicos, qui nec convocari poſſent niſi decernente ſumma poteſtate, nec canones condere qui vim obligandi & adigendi ad obſequium haberent, niſi approbante & ſanciente eadem ſumma poteſtate, quæ ſæpe decreta à Conciliis reſcindebat propria authoritate: Sane Theodoſius 2. reſcidit propria authoritate canonem Synodi Epheſinæ, quo Johannes Patriarcha Antiochiæ exauctorabatur, juſſitque Patriarcham Alexandrinum ut eum ad pacem reciperet. Vana eſt ergo VOETII νομοθεσία penes Paſtores, quæ non poteſt ſortiri effectum ullum ſine poteſtate Laica, aut intra, aut extra Synodum, & quæ neminem cogit niſi ſubditum, non poteſtatis Eccleſiaſticæ (quæ non habet ſubditos) ſed civilis: neque enim canon ut in omni conventu politico conditus eſt niſi ſubditis poteſtatis quæ ſynodum convoçavit. Id dicit Petrus Molinæus 1. parte de Conciliis theſi 9. *Potuerunt quidem canones*

Canones Eccleſiaſtici conditi Nicea aut Chalcedone eſſe Eccleſiis Æthiopicis aut Indicis exemplar & quadam imitatio: at non lex aut regula, cui obſequi tenerentur.

Neque extra Concilia Patres unquam noverunt poteſtatem VOETIANÆ ſimilem, quaſi extra munus vacandi verbo & orationi exercerent vel domi, vel in cœtu preſbyterorum, poteſtatem magis Eccleſiaſticam, quam civilem, quando, (quod faciebat Auguſtinus) cognoſcebant de omni cauſa, & lites de re quacunquè componebant. Certè Auguſtinus capite 29. de opere Monachorum, teſtatur ſe unum aut alterum diem deſtinaſſe in una ſeptimana audiendis, cognoſcendis & componendis ejuſmodi cauſis, quæ verſantur & agitantur de more in foro civili. Hoc agendo vir Sanctus non vagabatur extra miniſterium, nec putabat id opus fuiſſe potius poteſtatis Eccleſiaſticæ quam Civilis.

Sanè qui cognoſcit de omni cauſa & lite, ut pacem & concordiam paret, eatenus eſt vir Chriſtianus, & Eccleſiaſticus, &, ſi libet, poteſtate agit Eccleſiaſticâ; uſque adeo inficeta eſt illa diſtinctio poteſtatis ut vertumni inſtar mutet ſe in varias formas, ſit Eccleſiaſtica quia ſuſtinetur à viro Eccleſiaſtico, ſit verò Civilis quia verſatur circa materiam civilem.

SECTIO IV.

SECTIO IV.

Nec cognita Eccleſiis Helveticis. Imò nec magno viro Calvino, qui primus diſtinctionem poteſtatis ſpiritualis à civili Judicio introduxit, eodem puto conſilio quo Conſtantinus tribunalia Eccleſiaſtica conſtituit ineunte Imperio.

Idem mea ſententiâ proferendum eſt judicium de incœpto Calvini in conſtitutione tribunalis Eccleſiaſtici Genevæ diſtincti à Politico, quod de erectione tribunalium Eccleſiaſticorum à Conſtantino Magno ineunte Imperio paſſim in Imperio: nec exiſtimo Calvinum crediſſe ſuum tribunal aut Senatum Eccleſiaſticum genere aut naturâ diſcrepaſſe à tribunalibus Conſtantini, aut aliam mentem aliudve conſilium fuiſſe Calvino quam Conſtantino, huic in conſtituendo tribunali Epiſcopali, illi in formatione Senatus Eccleſiaſtici: utriuſque incœptum cenſeo optimo conſilio fuiſſe, cum enim Conſtantinum cura angeret qua ratione arceret à capitibus Chriſtianorum iniqua Secularium & Ethnicorum Judicum judicia, Sapienter Chriſtianis Chriſtiana dedit tribunalia, eiſque Viros de ordine Eccleſiaſtico, Epiſcopos nempe, ut conſultiores Juris Divini, & amantiores æqui præfecit. Nam procul dubio nunquam cogitaſſet de illis tribunalibus Eccleſiaſticis conſtituendis, ſi cum habenas Imperii ſuſcepit, inveniſſet Imperium tam Chriſtianum, quam erat tempore Theodoſii Junioris.

Eodem conſilio eademque neceſſitate permotum fuiſſe crediderim magnum virum Calvinum, & introduxiſſe Genevam Judicium ſeu Senatum Eccleſiaſticum, diſtinctum à civili, cujus quidem Senatûs Eccleſiaſtici nullus uſus erat nec mentio, ut nec excommunicationis: nec Genevæ ante Calvini ſtatam moram in ea Urbe, nec inter Helvetios, imo nequidem Tiguri tempore Gualteri, ut patet ex Epiſtolis, & commentariis Muſculi

Muſculi, Bullingeri, & Gualteri : cum enim nutantes eſſent Genevenſium animi, potiſſimum Magiſtratuum, tum in profeſſione & propoſito reformationis purioris retinendæ, nec moribus, ut voluiſſet Calvinus, adeo caſtigatis ut illis reformatio aut in fide aut in moribus multum eſſet cordi, optimum frænum licentiæ, & repagulum moribus ſolutioribus futurum credidit, conſtitutionem Senatûs, conſtantis, tum Paſtoribus & Senioribus, tum Syndico uno & Magiſtratibus tum ſuperioris, tum inferioris Claſſis; cæterum Selectis ex cordatioribus, illiſque qui zelo domûs Dei flagrabant, Eumque Senatum vocavit Eccleſiaſticum, licet minore jure aut loquendi proprietate minus commoda quam fuit appellatio *Eccleſiaſtici* quo Conſtantinus inſignivit ſuum novum tribunal in gratiam Chriſtianorum conſtitutum, cum iſtud totum conſtaret viris Eccleſiaſticis, eique præeſſet Epiſcopus. At Calvini Senatus, vix quartam partem haberet virorum Eccleſiaſticorum, niſi illis Seniores accenſeas, tum illi unus ex Syndicis præeſſet, ut legimus in ſumma capitum diſciplinæ Genevenſis à Calvino exaratæ. *Scire operæ pretium eſt, non ſolum verbi Dei miniſtros ſedere Judices in conſiſtorio, ſed numerum duplo majorem partim ex minori Senatu ex delectis Senioribus eſſe ut vocant, partim ex majori deligi, ad hac unum fere ex ipſis Syndicis præſidere.*

Illud eſt primum ſtamen & rudimentum Senatûs Eccleſiaſtici, inter Reformatos à Papiſmo præditi, ut volunt quidam, poteſtate eccleſiaſticâ, tum facultate ligandi, ſolvendi, excommunicandi, abſolvendi, licet non alius ejus fuerit author & faber quam Calvinus, cujus tamen poſtmodum tanta fuit authoritas, ut ad ipſius typum & Scripturam Eccleſiæ Gallicæ, (nam paulò ſerius Helveticæ) ſibi ſumpſerint Senatum, quem eodem cognomine Eccleſiaſticum vocaverint, cum tamen primus ille Senatus Calvino authore nomine tantum tenus fuerit Eccleſiaſticus, cui non tantum unus ex Syndicis præſideret, ſed & conſideret numerus duplo major Magiſtratuum & Seniorum quam miniſtrorum Evangelii.

 Hi.

Hic velim cognoſcere quo jure Paſtores in eo conſeſſu Eccleſiaſtico ſederent judices, an delegati à Chriſto, an verò à Magiſtratu, an potius id mere fuit opus prudentiæ humanæ, arbitrariæ, etiam citra Divinum inſtitutum adhibendæ, niſi illud in genere ut omnia compoſitè & ordinatè fiant in Eccleſia, Si à Chriſto, quo jure duplo major numerus Magiſtratuum & Virorum conſularium potuit eligi & vocari, in ſocietatem operis quod ad ſolos miniſtros pertinet, (ſiquidem eis ſolis debeatur clavis & doctrinæ & diſciplinæ) quodque planè Divinum eſt, & cœleſte. Si ſola prudentia humana, ut credere eſt, in conſilium eſt adhibita, tum is Senatus eodem jure fuit coactus, quo quivis alii, nec exiſtimandum formatum fuiſſe illum cœtum authoritate Calvini, aut Paſtorum: ſed aut conſentiente, aut delegante ſupremo Magiſtratu ſuam poteſtatem.

Hæc dico non ut reprehendam inſtitutionem illius ſeu Conſiſtorii, ſeu Judicii, tum primò à Magno Calvino erecti, tum ad ejus exemplum aſſumpti ab Eccleſiis reformatis, neque etiam ut rideam, aut carpam epitheton Eccleſiaſtici, illi Senatui inditi, quod factum fuiſſe utrobique optimo conſilio & prudenter exiſtimo: præſertim à reformatis Eccleſiis in Gallia ſub Dominis Pontificiis, ſed ut doceam tam abſurdè, tam præpoſterè, imo tam iniquè factum ex inſtitutione iſtius conſiſtorii & judicii Eccleſiaſtici, inferre poteſtatem Eccleſiaſticam diſtinctam Jure Divino à Politica, quam cuſores myſterii iniquitatis arripuerunt anſam introducendi in mundum poteſtatem Eccleſiaſticam à civili diſtinctam ex occaſione tribunalium Epiſcopalium à Conſtantino Magno inſtitutorum.

SECTIO V.

SECTIO V.

Neque Eccleſiæ reformatæ ſub Dominis Pontificiis, nominatim Gallicanæ, agnoverunt poteſtatem Eccleſiaſticam Voetianæ ſimilem.

NOn negaverim Eccleſias reformatas in Gallia, quæ ſuam Paſtorum poteſtatem, diſciplinamque exſcripſerunt ad typum Genevenſem, tum ſua Conſiſtoria, & Synodales coïtiones penè conſimiles habuerunt, in eam ſententiam delapſas, ut crederent ſua judicia non tantum eſſe revera Eccleſiaſtica, ſed & Jure Divino diſtincta eſſe debere à natura civilium judiciorum: ut quod revera jure communi & arbitrario per diſciplinam confœderatam faciebant, id Jure Divino poſitivo fieri ab ipſis cenſerent per poteſtatem ſeorſim collatam in Paſtores & Euangelii Miniſtros quocunque Eccleſiæ ſtatu, etiam ſub Magiſtratibus amicis & reformatis, ut ſunt Ordinum unitarum provinciarum. Sed non puto omnes ſanioris & rationis, & intellectus viros, qui ſe ad earum cœtus aggregaverunt, fuiſſe à prima reformatione in eadem ſententia, ſed potius credidiſſe, in conſtituenda aut retinenda diſciplina poteſtateque aſſignanda illis qui ei præponuntur ſeu Paſtoribus, ſeu Senioribus, non eſſe recurrendum ad jus poſitivum, & peculiare præceptum Divinum (quod quidem nullibi in ſacra Scriptura extat) quaſi Deus præter poteſtatem in miniſterio verbi Paſtoribus credidiſſet certum poteſtatis externæ modum, cui parere tenerentur fideles: Sed ad prudentiam humanam, juſque ordinarium & commune omnibus hominum ſocietatibus cujuſcunque generis obvium & expoſitum, quibus incumbit ſuas res ordinatè adminiſtrare, utile & honeſtum amplecti, noxium verò & rationibus propriis incommodum à ſe arcere.

Nam

Digitized by Google

Nam revera par ratio eſt juris ac poteſtatis quâ reguntur Eccleſiæ Gallicanæ, atque juris ac poteſtatis habitæ ab Eccleſiis ſub Ethnicis Imperatoribus, ubi Magiſtratus non eſt cuſtos aut vindex Eccleſiarum diſciplinæ, tum Eccleſiæ ipſæ recidunt in conditionem liberi populi, & tenentur in vigore diſciplinæ poteſtatem conſtituere analogam poteſtati magiſtratûs, & res ſuas ſic ordinatè & prudenter adminiſtrare, tanquam Magiſtratui Chriſtiano rationem redditura: ut ut ſit, Eccleſiæ Chriſtianæ ad exemplum Judaïcarum & Synagogarum ſub Magiſtratu aut infenſo, aut amico, nunquam fuerunt ſine Magiſtratu. Vel quando experiebantur Dominos ſuos infenſiſſimos, tum habuerunt ſuam diſciplinam confœderatam, vices & partes Magiſtratûs ſupplentem. Id ipſum ſub illa diſciplina factitabatur per conſenſum mutuum & reciprocam συγκατάβασιν quod fit per poteſtatem aut delegatam, aut permiſſam ſub Dominis, fautoribus, & vindicibus acerrimis religionis orthodoxæ. Paria & eadem per Seniores, Paſtores, Judices compromiſſarios, arbitros, reconciliationis authores, & officii monitores faciebant, tractabant, decidebant, judicabant, damnabant, abſolvebant; quanquam maximam partem ſine ira, jurgio aut bello ſuper omni lite & controverſia, quæ alias coram tribunali civili verſantur.

At id non faciebant Eccleſiæ ſub Imperatoribus Ethnicis, nec id faciunt Eccleſiæ Gallicanæ, aut earum nomine Paſtores & Seniores ſub Dominis minus reformatæ religioni æquis per poteſtatem aliquam Judiciariam, eamque potius Eccleſiaſticam, quam Civilem, & quæ Eccleſiaſtica tantum tractet, ſiquidem & rectores, & vindices diſciplinæ confœderatæ, (ut mos erat Eccleſiarum ſub Ethnicis Imperatoribus) in Gallia in conſiſtoriis & ſynodis ſuis de omni lite & cauſa, ſeu Eccleſiaſtica, ſeu civili cognoſcunt, quæ cauſa eſt jurgii & diſſidii inter fratres, ut patet ex articulo decimo-quarto capitis quintæ diſciplinæ Gallicanarum Eccleſiarum. Sane canon vigeſimus Synodi Monſpe-

Monſpelienſis decernit, ut qui damnatus à Magiſtratu perſeverat in abnegatione facti, non recipiatur ad pacem, priusquam per idoneam probationem, auditionem teſtium, & recognitionis cauſæ conſtiterit de Rei innocentia. Inquirunt Synodi in placita ſupremarum curiarum in Gallia, in reſponſa Juriſconſultorum, in decimas, præbendas, ſecreta mulierum, frigiditatem virorum. In Synodo Vitriaco, cum *anno*
cujuſdam matrimonium diſſolutum fuiſſet ab Officiali ob 1583.
cauſam frigidatis in marito, & cum hic paulo poſt uxorem duxiſſet in Eccleſia Romana, moxque petiiſſet recipi in gremium Eccleſiarum reformatarum, conſultum cenſuit Synodus, ut antequàm reciperetur, interrogaretur privatim ejus uxor, an ſibi à marito fieret ſatis. Sic in Synodo Lug- *anno*
dunenſi canon latus eſt de ratione agendi tum illis qui ſe li- 1563.
beros putant obligatione matrimonii, quia ante matrimonium juramento abhibito ſe obſtrinxerant, nunquam ſe ducturos fuiſſe fœminam illam in uxorem, ſi corruptam ante ſciviſſent. Sanè cognitio iſtius cauſæ excurrebat extra metas, aut Civilis, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, imo medicæ, ſeu poteſtatis, ſeu ſcientiæ: imo nec certò unquam comperta marito: Cum fieri potuerit ut caſta mulier perdiderit aut morbo aut caſu quod fruſtra maritus in ea quærit. Synodus Monſpellienſis can. 29. definit an Magiſtratus tolerare debeat ſortionum præmii tabellas, poſſitne ſupplicium mortis commutare in alias pœnas: quæ quidem enucleate refero, non ut carpam virorum reverendorum curioſam perquiſitionem, aut damnem in illis, quod alii vocabunt occupationem & vindicationem alienæ poteſtatis, aut cognitionis quæ alterius ſit fori. Namque credo cum Bellarmino Paſtoris Euangelici eſſe, cognoſcere de omni peccato, de omni lite, de omni homine: quod quidem, licet verum, eo tantum conſilio aſſerit, ut Reges, Principes, omnia negotia, cujuſcunque generis & claſſis, ipſorumque Juriſdictionem civilem mancipet

Juriſdictioni Eccleſiaſticæ, hoc eſt Papæ. Sed eâ gratiâ allego hæc exempla ex archivis Synodorum reformatarum, ut palam faciam, fruſtra cauſas dividi in Civiles & Eccleſiaſticas, ut inde anſâ arripiatur adjudicandi cuique claſſi cauſarum ſuam Juriſdictionem, Paſtoribus quidem Eccleſiaſticam, quæ cognoſcat tantum de rebus Eccleſiaſticis, de fide & de diſciplina; Magiſtratui verò Civilem poteſtatem, quæ cognoſcit de rebus civilibus: namque certum eſt, poteſtatem Paſtorum tam latè patere, & ad tot ſe extendere, quam poteſtas Magiſtratûs: ut hic de omni lite, cauſa, materia ſeu Eccleſiaſtica ſeu Civili, militari, nautica, imo de ipſa fide & diſciplina Eccleſiarum (licet tam Divinæ eſſet authoritatis, quam ipſe decalogus) poſſit & debeat Leges ferre, & imperia mittere: at Paſtoris Euangelici conſimiliter officium ſit inquirere in omnes actiones, facta & perſonas cujuſcunque generis & ordinis, & de Juſtitia & æquitate omnis legis, cauſæ & facti pronunciare in nomine Dei.

Jam cum poteſtas Eccleſiarum reformatarum in Belgio non ſit effectus diſciplinæ confœderatæ, ſed Imperatæ Eccleſiarum Rectoribus; planum eſt ejuſmodi poteſtatem VOETIANAM nondum cognitam eſſe Eccleſiarum Rectoribus in Gallia, ſaltem uſu & experientiâ: nam nec illis cognita VOETIANA poteſtas, habita ſeorſim, & independenter à Magiſtratu amico & orthodoxo: quippe qui haud dubio in ea ſint ſententia, ſuam diſciplinam conceſſuram in jura & poteſtatem Regis, ſi ille reformatæ religioni nomen daret, quod non admittit VOETIUS.

CAPUT II.

CAPUT II.

Quibus artibus, dolis & fraudibus Pontificii probarunt Proteſtantibus poteſtatem Eccleſiaſticam diſtinctam à politica.

SECTIO I.

Detectio fraudis latentis ſub vocabulis functionis Eccleſiaſticæ, Sacerdotum, & Paſtorum, ejuſque dignitate, ut aſtruatur poteſtas Eccleſiaſtica.

IN agmine technarum & fraudum quibus Papa fucum fecit Principibus & Regibus & ædificavit imperium ſuum in imperio alieno, hancce deſumam tamquam aliarum gregem ducentem.

Ex ſeparata functione, Sacerdotum, Levitarum & totius ordinis Eccleſiaſtici, tum ex ejus dignitate, ſeparatam quoque Juriſdictionem deberi Sacerdotali generi confinxerunt. Id Gelaſius, Nicolaus 1, & innumeri alii Papæ ad ravim inculcabant Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ſuam Juriſdictionem ſic efferentes ſupra Imperialem, ut hanc tantum ſubſidere affirmarent infra Sacerdotalem, quantum luna ſplendore & dignitate ſubſidet infra ſolem, atque ſubinde oggerentes, quantum functio Sacerdotalis eminet ſupra omnes civiles functiones, tantum Juriſdictionem Sacerdotalem caput extollere debere ſupra Juriſdictionem Imperatorum, Regum & Magiſtratuum. Sed non opus eſt aut multiloquio, aut ſagacitate magna ad hanc technam detegendam.

1. Non, ſi functio ſeu Paſtoralis, ſeu Sacerdotalis dignitate præcellit omnes functiones, ſequitur aut veſtitam eſſe Juriſdictione, aut eam juriſdictionem non ſubordinari poteſtati Magiſtratûs.

 2. Splendi-

2. Splendidum eſt mendacium, affirmare, functioni ſeu Sacerdotali, ſeu Paſtorali unquam affixam fuiſſe juriſdictionem externam cogentem, & ſi quæ ab illis habita, adminiſtratam fuiſſe ſeparatis judiciis, legibus, conciliis, ſynedriis & perſonis diverſis à Magiſtratu & Viris conſularibus qui Reipublicæ præerant, quandoquidem & ipſe ſummus Sacerdos eſſet de numero eorum qui ſuſtinebant ſeu in Eccleſia, ſeu in Republica Magiſtraturam, & uno conſilio, concilioque eam regebant: nam nec ipſe ſedebat præſes in concilio ſummo ſeu ſynedrio tanquam Sacerdos, ſed tanquam Magiſtratus, ut nec ſemper præſes erat teſte Maimonide. Unde miror quâ fronte aut quâ inſcitiâ VOETIUS affirmare auſus fuerit Eccleſiam Judaicam corpus fuiſſe diſtinctum à Republica: illam gubernatam fuiſſe regimine mixto ex Monarchia & Ariſtocratia. Quod ſi ſummus Sacerdos eum modulum Monarchæ habuiſſet quem poſſidet Dux venetus, omnino præſes fuiſſet in omnibus Judiciis, quod tamen falſum fuiſſe aſſerunt omnes Conſulti Juris Judaici. Inter quos Petrus de Marca nuper Archiepiſcopus Pariſienſis in eo aut doctior, aut ſanior VOETIO, *Pontifex* inquit, *Maximus rerum ſacrarum Iuriſdictione vi Pontificatûs non potiebatur, ſed tanquam ut unus è collegio magni ſynedrii ſi ad id allectus fuiſſet.* Idem affirmat Toſtatus, qui ubique multus eſt ut probet unicam juriſdictionem, nempe Laicalem rexiſſe & Rempublicam & Eccleſiam; cæterum nullam fuiſſe juriſdictionem Sacerdotalem, *Regem habuiſſe Juriſdictionem ad deponendum Abiatharem de ſummo Sacerdotio, & ad deponendum eum.* Jam ſi applicatio fiat functionis Sacerdotalis, carnalis, illuſtris externâ pompâ, dignitate, veſtitu, infulis cæremoniis, ſeparatim ab ea peragendis, nec tamen juriſdictione externa ſeorſim donatæ, adfunctionem Paſtorum Evangelicorum maximam partem internam; tum ſpiritualem ſtatione & loco, quid abſurdius & magis rationi diſconveniens eſſe poteſt, quam ut hæc juriſdictionem externam ſeparatam à Magiſtratu habeat, illa non habeat.

de conc. Imperij & ſacerdotij tom. 1. lib. 2. cap. 5. §. 2.

1. Paral. c. 16. qu. 41.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

Fraus latens ſub vocabulo Eccleſiæ detecta.

MAgno aſtu, æſtu & ſtrepitis Pontificii Eccleſiam velut caput Gorgonis objiciunt Proteſtantibus, tanquam ſubjectum primarium omnis poteſtatis Eccleſiaſticæ, cui nunquam affixiſſent Papam, ni eo tempore quo caput extulit, reperiſſent animos præparatos & imbutos hac opinione, Eccleſiam quamcunque, imprimis catholicam, habere juriſdictionem de jure Divino ſeparatam à Republica, tum nobiliorem ordine & authoritate. Namque illud magnum ἄιτημα *Eccleſiam omni tempore eſſe corpus ſeparatum à Republica, diſtinctum curiis, cauſis, legibus, cenſuris, & Iudicibus, à quorum decretis non datur provocatio ad tribunal Magiſtratûs,* Papam in mundum introduxit & mox id præſtitit, ut nomine Eccleſiæ ſolus Papa intelligeretur: ut jam diruto illo poſtulato & ἀίτηματι magno in quo Imperium Papæ, tota Hierarchia adeoq; ipſa religio Romana fundatur, tota hæc ſtrues Papæ, Hierarchiæ & religionis Romanæ in præceps rueret, & funditus periret: contra verò, admiſſo hoc poſtulato à Proteſtantibus & ejus falſitate nondum ab eis agnitâ, non mirum ſi difficilius Papale ædificium convellitur à Proteſtantibus, intacto fundamento, quod tamen rationibus ex Scriptura petitis diruere, culmenque adima præcipitare, non alius labor levior eſt.

Sanè vocabulum Eccleſiæ: reſque quæ eo deſignatur, nullomodo ſunt ſubjectum capax leges condendi Imperandi & cogendi ad obſequium, niſi per Eccleſiam (quod conſtanter facit vetus Lex.) Hebraice *Cahal gnedah* intelligatur conventus virorum qui Magiſtratûs perſonam, munus & officium gerunt. Nam nullibi vocabulo Eccleſiæ intelligitur cœtus fidelium, multo minus Sacerdotum aut verbi Præconum: nam ne ſemel quidem in Novo Teſtamento Eccleſiæ vox pro Miniſtris Evan-

gelii ſumitur. Intellectus enim vocabuli Eccleſiæ Matth. 18. aut pro cœtu Miniſtrorum aut pro Papa paria & æqua habet rationum momenta. Certè Iacob. Capellus in theſib. pro defenſione diſciplinæ Eccleſiarum Reformatarum theſi 17. habet hæc verba: *In Novo Teſtamento nec Cleri, nec Sacerdotis nomen uſquam tribuitur Eccleſiæ doctoribus, ne putent ſibi ſolis competere cognitionem rerum ad hæreditatem cœleſtem pertinentium.*

Sed cum vocabulum *Eccleſiæ* ſit ſubjectum vagum, in qua demum Eccleſia, Catholica, nationali, particulari, an in Synodo reponendum eſt ſubjectum Juriſdictionis Eccleſiaſticæ? an in ſolis Paſtoribus, an aſcitis primoribus de gente Laica? de Catholica certum eſt non magis ſubjectum eſſe capax exercendi Juriſdictionem, condendi & Imperandi leges, & ad earum obſequium cogendi, quam cœtus virorum militarium toto orbe idoneum eſt ſubjectum obſtringendi ad Leges militares quotquot nomen dederunt toto orbe militiæ.

Sed nec Eccleſia nationalis in unum locum cogi poteſt, nequidem perdeputatos ſuos, cum ipſa deputatio ſit actus poteſtatis civilis, ipſaque itio & eundi permiſſio, multò magis cœtus convocatio & canonum latorum approbatio & ſanctio.

P. 96. Quocirca toto cœlo errat VOETIUS, cum vult primo & perſe pertinere ad Eccleſiam indictionem & convocationem Synodorum, ad Magiſtratum verò ſolummodo conſenſum, ſed ne hunc quidem per ſe ſed per accidens, quo dogmate non aliud magis Pontificium, niſi forſan illud, quod juxta arripit & defendit in Pontificibus quod νομοθεσία ſit penes Eccleſiam nec poſſit Magiſtratus formare & præſcribere conſtitutiones Eccleſiaſticas.

Par incommodum ſi cuique Eccleſiæ particulari affigatur poteſtas Eccleſiaſtica tanquam in ſubjecto primario, nec facile eſt ſtatuere ubi nam ejus ultimum Judicium? Sed ubicunque collocetur, ſi recipitur definitio Eccleſiæ tradita à clar. Riveto, corruet poteſtas Eccleſiæ leges condendi, jubendi & cogendi

cogendi ad earum obſequium. Sic enim ille eam definit *cœtus populi Dei Spontanei qui ſe totum ad obſequium tradit per Spiritum Sanctum regenerati.*

Ubicunque ergo pedem figat Juriſdictio Eccleſiaſtica non conſiſtet. Sane ſi illud poſtulatum de Eccleſiæ Juriſdictione ſeparatim habenda fuit mera chimera, reſque plane inaudita in republica Judæorum, ut vidimus ſupra, multò magis pro figmento humani cerebri habenda ſub œconomia Euangelica.

Sed meo Judicio par eſt fraus vindicibus VOETIANÆ poteſtatis atque Pontificiis, veſtiendo ſuam Eccleſiam grandibus elogiis, poteſtatemque Eccleſiaſticam extollendo, Magiſtratûs verò elevando & deprimendo, ut eum ſuæ ferulæ ſubjiciant.

Pontificii ergo Romanam Eccleſiam veſtiunt titulis quæ ſoli Eccleſiæ electorum competunt, vocantes eam regnum gratiæ, mediatorium, redemptorium, corpus Chriſti, virginem ſine ruga, genus electum: ſuam verò poteſtatem appellant Spiritualem & cæleſtem, ut fucum faciant Regibus & Magiſtratibus, mancipentque ſuo imperio ut Chriſti jugo, quod nemo qui Chriſto nomen dedit ferre recuſet. Reperias Epiſtolas, bullas, diplomata Nicolai I, Gregorii VII, & Innocentiorum quæ ejuſmodi grandia crepant. Sed paria faciunt advocati poteſtatis perperam dictæ Eccleſiaſticæ. Illi enim cum Papa duo regna conſtituunt *unum univerſale quod Deus tanquam creator* (verba ſunt Triglandii) *habet in omnes homines poteſtate ſuâ abſolutâ, alterum regnum quod eſt gratiæ, quod comprehendit omnes fideles, quos gratioſè gubernat verbo ſuo & ſpiritu. In quo filium ſuum electorem & fidelium mediatorem ac redemptorem ſpeciatim Regem conſtituit.* In hoc regno mediatorio & gratiæ Triglandius ait Deum ordinaviſſe paſtores & inſpectores qui gubernarent fideles SPIRITUALI RATIONE. Eadem VOETIUS ſæpe inculcat, vult enim regnum ſeu regimen cap. 12.

gimen Eccleſiaſticum eſſe regnum Chriſti, adeoque cum non ſit de hoc mundo, non debere moderari ad normam & modum regni ſecularis.

Itane elogiis veſtienda, tum Eccleſia particularis viſibilis, tum poteſtas Eccleſiaſtica, qualis in Belgio eſt, quæ in ſolos electos & poteſtatem miniſterii in verbo cadit, per quam non alii præter electos transferuntur à poteſtate Satanæ ad Deum? Itane hæc poteſtas regni, gratiæ & mediatoris promiſcuè accipietur pro Juriſdictione perperam dicta Eccleſiaſtica, quæ tantum diſtat à poteſtate verbi, quantum prudentia Divina & cœleſtis ab humana, regnum cœleſte à terreno. Nam quicquid dicant iſtius poteſtatis vindices, falſiſſimum eſt illam non eſſe de hoc mundo, aut Spirituali ratione adminiſtrari à paſtoribus, quandoquidem ſit ejuſdem naturæ cum poteſtate Magiſtratûs, & tam in eam ignorantia, error & ſubreptio cadere poſſit, quam in civilem & politicam, & hæc & illa juxta per ſuffragia, per ambitum & per vim, Sanctionem det ſuis canonibus, & voluntate ſæpius duce quam ratione.

SECTIO III.

Fraus latens ſub vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis.

MAgna fraus latet ſub illo involucro vocabulorum *Spiritualis* & *Eccleſiaſtici*, quo tectorio Papa incruſtat ſuum Imperium terrenum, quove VOETIUS ſuam poteſtatem mediam inducit.

Sed id tectorii minimâ lotione auffertur: neque enim ullum eſt mandatum Divinum, non ipſe decalogus, adeoque nulli canones Synodici de doctrina & de diſciplina, qui non ſint & civiles & politici; & non pertineant ad forum humanum. Sanè ſi excommunicatio (alioquin mera chimera & terriculamentum

lamentum avium) tam eſſet Divina quam præceptum Dei *non occides*, non minus hoc & illa eſſent fori humani & Civilis; nam quemadmodum nemo in foro humano poteſt aut debet plecti ob homicidium priuſquam lex contra homicidium codici legum Magiſtratus inſeratur, ſitque ab eo juxta ac à Deo ſancita & lata; pari ratione, nec excommunicatio minus eſſet fori humani & Civilis, neque cuiquam applicari deberet, niſi ex æquo imperata & ſancita à Magiſtratu, citra cujus Sanctionem omnia Divina præcepta (in quibus ſac ponatur excommunicatio) adeoque omnes Synodales conſtitutiones, ſunt meræ declarationes, conſilia & animi ſententiæ in foro ſeu humano ſeu Eccleſiaſtico (quæ eadem ſunt) licet in foro conſcientiæ non minor forſan ſit obligatio ad earum obſequium, quam ad implenda illa præcepta, quorum, tum Deus, tum Magiſtratus eſt lator & præco. Hujus argumenti vim eludat ſi poteſt VOETIUS, neque enim hactenus vidi qui potuerit.

Quid? quod abſurdum & inficetum ſit ex diviſione legum in Eccleſiaſticas & Civiles inferre diviſionem poteſtatis in Civilem & Eccleſiaſticam. Nam ſi tot poteſtates eſſent, quot claſſes legum, mirum ni daretur poteſtas medica, mathematica, academica, militaris, teſtamentaria, matrimonialis, mercatoria, fabrilis: ut materia legum varia eſt, ſic forma legum una eſt, adeoque omnes leges cujuſcunque generis, materiæ, & claſſis, ſunt formaliter Civiles & Politicæ: Id martyr, Muſculus, & Rivetus ſolidè docent, voluntque illud quod ſit in Eccleſia, ad bonum Eccleſiæ procurandum, malumque reprimendum, eſſe tam politicum quam Eccleſiaſticum, & poteſtatem politicam etiam ſe extendere ad Eccleſiaſticam, cæterum *a* inanem omnem eſſe poteſtatem in Eccleſia extra aut poteſtatem *ca* verbi, aut poteſtatem Magiſtratûs, *recte* inquit. *Muſculus, leges* *giſtratu.* *Eccleſiaſtica vocantur, quæ in uſus Eccleſiæ ab Imperatoribus & Magiſtratu ſanciuntur.* *Pet.Mar. cl.4.l.13. §.9.*

E SECTIO IV.

SECTIO IV.

Fraus detecta à neceſſitate, ut detur poteſtas Eccleſiaſtica.

ARgumentum quod imprimis Achillæum & palmarium habetur à vindicibus poteſtatis mediæ, deſumitur à neceſſitate quæ incumbit, ut detur in Eccleſia poteſtas diverſa à poteſtate Magiſtratus & reip., in qua, ajunt, illum qui implevit Magiſtratûs legem, vel agendo, vel patiendo, ei ſatisfeciſſe, licet nullâ tactus pœnitentiâ, agnitione culpæ, & propoſito vitæ in poſterum caſtigatioris: quocirca opus eſſe dicunt poteſtate illâ mediâ, cujus finis non ſit peccatoris mors, aut damnatio, ſed pœnitentia & vitæ emendatio.

Reſp. 1. Quicquid hac in parte præſtatur à Paſtore Euangelico, opus eſſe primæ poteſtatis, ut non opus ſit ut ad ſubſidium primæ accedat media, namque per illam poteſtatem functionis, paſtor facultatem habet reo concionandi, & conſcientiam ejus excutiendi, tum terrendi, pacandi, Impœnitenti regnum Dei claudendi, pœnitenti aperiendi.

Reſp. 2. Cum Deus perinde Magiſtratui commiſerit curam Eccleſiæ ac Reipublicæ, ſiquidem hæc illam includat, ut ait Optatus, tam ſollicite ſuſcipere debet curam animarum ſubditorum, quam incolumitatem corporum & bonorum: adeoque ſi lege Magiſtratûs damnato ad furcas deeſt verbi Dei miniſter, qui diſcedentem ex hac vita hortetur, & conſoletur, ejus vices ſupplere debet Magiſtratus, aut alium pro ſe delegare qui id præſtet.

Reſp. 3. Magiſtratum non minus intendere pœnitentiam & vitæ emendationem, quam Paſtor Euangelicus ad id collimare debet, non tantum ut habeat quietos ſubditos, ſed & bonos: nam neque vult cujuſquam mortem & damnum niſi ex accidenti:

denti : cum finis legis Magiſtratûs ſit , vel ut tollatur peccator è vita , vel peccatum agnoſcatur , vitaque emendetur, Magiſtratus habet curias , in quibus læſa fama proximi reſtituitur agnitione culpæ. Sic ſatisfecit legi qui ex juſſione Magiſtratûs palam dixit , *verbis læſi Mævium , fateor , nolim factum ; bonum virum reputo.* Sane hic ulterius non ſe porrigit ſatisfactio aut cenſura Eccleſiaſtica. Profectò finis legis in fures, & canonis Eccleſiaſtici lati in eos juxta eſt , ut qui manus rapaces habet , in poſterum alieni ſit abſtinens , & honeſto labore victum quæritet : nec lex, aut Magiſtratûs, aut Synodi tam eſt fixa nocentibus, quam innocentibus ne ſint nocentes.

SECTIO V.

Poteſtas Eccleſiaſtica retenta à Proteſtantibus & Pontificiis juxta, tam favet his quam nocet illis. Voetiana poteſtas multò abſurdior eſt Pontificiâ, licet minus impia.

TAm abſurda eſt illa poteſtas media inter eam quæ eſt Magiſtratus poteſtas quæ per vim externam, externum hominem ad obſequium adigit , & illam quæ per vim internam quæ eſt verbi , & per vim flexanimam ſuadet , imo perſuadet, quam eſt ſcientia media : hæc (ut eſt inventnm Jeſuiticum) ducit ad atheiſmum ; illa ut eſt inventum fabrorum myſterii iniquitatis , jam ſuant telam iniquam & myſticam incipientium terere tempore Pauli , ita ducit ad tyrannidem Pontificiam.

Non deſunt tamen argumenta , ſed imbellia , quibus tanquam feſtucis ſupportant hanc poteſtatem mediam , arteſque & fraudes , quibus eam aliquo colore & tectorio incruſtent , quæque propius inſpectæ ſplendida ſunt mendacia , quibus ut purgatorio, ſacrificio miſſæ , indulgentiis, & ejuſmodi deliramentis honos accedit ex ſolo nomine & fulgore

Spiritualis poteſtatis quibus Papa (cui tam placet poteſtas media, quam ſcientia media) ſuum imperium terrenum illinit: nam dum hæc Papalis media poteſtas non impugnatur à Proteſtantibus, tantum venerationis impertit cognatæ poteſtati Proteſtantium, quantum illa conciliat authoritatis deliramentis doctrinarum Papalium: quin par gratia rependitur Pontificiis, dum ex poteſtate mediâ Proteſtantibus habita honos etiam accedit Pontificiæ, quæ ſane minoris eſſet pretii apud Romanenſes, ſi ſordeſceret ubique inter Proteſtantes, & ab eis pro chimera & figmento humano haberetur. Profectò, ut conciderent, & ruerent doctrinæ omnes Romanenſes, ſi illis nulla gratia, nullus ſplendor, nullumque pretium accederet ex poteſtate illa media & Pontificali, illuſtri ſanè, ementito tantum ſuo fulgore.

Sic jam pridem in Eccleſia Romanâ vilis fuiſſet gemma hæc poteſtatis mediæ, & à porcis proculcanda, niſi Proteſtantes inſigni paroramate ejus uſum commendaviſſent Pontificiis.

Ego ſanè exiſtimo poteſtatem Eccleſiaſticam, ut habetur & retinetur à Pontificiis, eſſe Impiam, ut quæ pars ſit myſterii iniquitatis, de quo S. Paulus 2. Epiſtolâ ad Theſſalonicenſes: at minus pugnare cum recta ratione, quam VOETIANAM, hanc duplici, illam verò uno duntaxat nomine chimeram eſſe.

1. Nam Poteſtas Eccleſiaſtica, habita à Pontificiis, non ulterius eſt chimera, quam quatenus eſt Eccleſiaſtica, nam realis eſt poteſtas etiam innolentes, quæ cogit externum hominem, habens pœnas reales, tum ſuos judices, apparitores, & carceres: at poteſtas VOETIANA duplici nomine, ut dixi, eſt Chimera, & quatenus poteſtas & quatenus eſt Eccleſiaſtica: ipſe enim fatetur ſuam authoritatem improprie dici Juriſdictionem, ut jam, ſi vocabulum *Eccleſiaſtica* perinde impropriè impropriæ Juriſdictioni attribuatur, habebimus chimeram chimeræ aptatam.

2. Adde

2. Adde quod poteſtas VOETIANA eo abſurdior ſit Roma-
nenſi, quia vult collateraliter exerceri: at Pontificii volunt Civi-
lem Eccleſiaſticæ ſubordinari. Eſt enim conſtans opinio Papa-
rum*, Thomæ & totius Scholæ, Jeſuitarumque, poteſtatem
Civilem indirectè, & in ordine ad Spiritualia, ſubjici Eccleſia-
ſticæ, ut corpus animæ, unde infert Thomas, non eſſe uſurpa- *In 2.*
tum Judicium, ſi Prælatus temporalia tractet negotia, ut jam, *part qu.*
tantum abeſt ut maxima pars Pontificiorum Sanioris rationis & 60.
intellectûs duas conſtituant poteſtates, Eccleſiaſticam unam,
Civilem alteram, ut ex Eccleſiaſtica & Civili unam reipſa con-
ſtituant Juriſdictionem, nempe Sacerdotalem, quo nihil magis
cum ratione concordat, neque duæ Juriſdictiones pari au-
thoritate præditæ ſimul poſſunt conſiſtere, quocirca Salmero *to. 13.*
falſiſſimum, ſed verò finitimum protulit effatum *tam Sacerdo- diſt. 22.*
talis quam regia poteſtas collocata eſt Eccleſiæ paſtoribus, ut ſic re- de eccle-
gnet Chriſtus in æternum. VOETIUS nondum ſic mancipavit Ci- *ſia.*
vilem Juriſdictionem Eccleſiaſticæ, mavultque abſurdus quam
Impius audiri. Sed vapulet ut reducatur in viam rationis verbe-
ribus an verbis Muſculi. *Ipſa gubernationis ratio & natura fer-*
re nequit, ut duæ ſint in eodem populo poteſtates, authenticæ, duæ
diverſæ legiſlationes ac dominationes, niſi per ſubordinationem,
perinde ac duobus in uno corpore non poteſt eſſe locus capitibus. Velim
VOETIUS dicat quam hic muſculus damnet poteſtatem, non
poteſtatem in verbo; ergo poteſtatem VOETIANÆ conſimilem.

3. Nec omittendum, Pontificios, qui non ſunt de clero, mul-
tò Saniores eſſe hac in re VOETIO, nominatim Gallos. Car.
Molinæum, Fauchetum, Paſquierum, Tillet, Pithœum, Ran-
chinum, & hodie Talonum, Patrem & filium, quorum
conſtans eſt ſententia, viris Eccleſiaſticis nec territorium, nec
fiſcum, nec Juriſdictionem competere. Sed tantum faculta-
tem animi ſui ſenſa proferendi, cæterum Regem fontem &
originem eſſe omnis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, tum diſciplinæ
Eccleſiaſticæ dominum, authorem, vindicem, reformatorem

& moderatorem, ut de ea ſtatuere poſſit, illi modum imponere, monaſteria formare, & reformare, ut luculenter edocuit Illuſtris Talonus, cui debemus chimeram Infallibilitatis.

SECTIO VI.

Supra dicta aſtruuntur teſtimonio virorum qui reformationem puriorem amplexi ſunt, quique rejecerunt, tum diviſionem poteſtatis in Eccleſiaſticam & Civilem, tum dogma illud velut Pontificium Regimen Eccleſiaſticum diſtinctum eſt à Politico.

MAximum meo Judicio argumentum eſt infirmitatis quâ laborat poteſtas VOETIANA, tum quod conſtanter placuerit Pontificiis, verum rejiciatur à plurimis de ordine Eccleſiaſtico, qui pariter cum VOETIO puriorem reformationem amplexi ſunt, tum quod ab omnibus de natione laica Proteſtantibus ſummis viris, Salmaſiis, Juſtellis, Grotiis, Seldenis repudietur ut figmentum humanum: Sane jam tempore Calvini, in ipſo exortu aſſumptæ per manus Pontificiorum poteſtatis Eccleſiaſticæ, major erat numerus eorum qui figmentum humanum eſſe cenſerent, quam qui retinendam exiſtimarent: nam ſic de illis loquitur Epiſtolâ ad Tigurinos, *De excommunicatione non omnes hodie idem ſentiunt, nec me latet pios & doctos eſſe homines, quibus ſub Chriſtianis Principibus non videtur eſſe neceſſaria excommunicatio*: potuiſſet dicere omnes illos pios & doctos fuiſſe paſtores Eccleſiarum Helveticarum, ut fidem faciunt Epiſtolæ Calvini: contra quos tantum valuit ſola Calvini authoritas & exemplum, ut & vivo & rebus humanis exempto obtinuerit uſus paſſim in Gallia, tum poteſtatis Eccleſiaſticæ, tum excommunicationis, paulo tamen ſerius inter Helveticas Eccleſias, neque enim Zuinglius purioris reformationis

anno 1553.

tionis

tionis prodromus unquam de excommunicatione retinenda cogitavit, quin inter Papales fæces valere juſſit cum Wiclevo.

Poſſum ergo ad teſtimonium & probationem lemmatis huic Sectioni præfixi allegare de omni natione reformatorum viros pari pietate & doctrinâ præditos, cum illis piis & doctis viris, quos Calvinus ait excommunicationem, adeoque poteſtatem Eccleſiaſticam eliminandam cenſuiſſe è dominio Principum Chriſtianorum & orthodoxorum: poſſum unum inquam aut alterum proferre de quaque gente, ubi nomen aut Chriſtiani, aut reformati floret de Italis, Germanis, Gallis, Anglis, Helvetiis, Belgis, ut Petrum Martyrem, Bullingerum, Muſculum, Gualterum, Thomam Cranmerum, Pareum, Rivetum, Vedelium, Meſtrezatum, Gache, Vauquelinum, Foecambergium, Richardum, Barterum, Edoardum Stillingfleet, ut non numerem viros Illuſtres Salmaſios, Juſtellos, Seldenos, &c. de gente laica, qui aut diſertis verbis dixerunt diviſionem illam poteſtatis in Eccleſiaſticam & Civilem non alium authorem & parentem habere præter Papam, aut ſaltèm affirmaverunt, omnem Juriſdictionem in Eccleſia præter illam quæ ſe exerit per miniſterium verbi, eſſe aut poteſtatem Magiſtratûs, aut conſimilem, cæterum Pontificium illud eſſe dogma etiam craſſiſſimum *Regimen Eccleſiaſticum diſtinctum eſt à politico.* Petrus Martyr per omnia noſter eſt, nam affirmat *loc. com. claſ. 4. loc. 3. §. 5. & 6.*

1. Diviſionem poteſtatis in Eccleſiaſticam & Civilem eſſe de Fabrica Papæ.

2. In omni Synodo & Conſiſtorio duplicem conſpici poteſtatem, unam quæ eſt functionis, alteram quæ eſt Magiſtratûs.

3. Hanc ut ſubalternam ſubjici Magiſtratui ſummo extra Eccleſiam.

4. Poteſtatem quæ eſt verbi illi minimè ſubjici ſed contra: longum de ſingulis ſermonem habet, quem ſic concludit *quare nihil erat opus, ut iſti novum ſibi caput excitarent in Eccleſia, & præſertim ad conſtituendam tyrannidem. Eccleſia enim habet*

Digitized by Google

bet ſeniores, qui curare debent quo ordine omnia fieri debeant, ut autem fiant, Magiſtratus debet providere.

Sed Gualteri teſtimonium erit quaſi allegarem Petrum Martyrem, Bullingerum & Muſculum. *Diſtinguunt illi inter Juriſdictionem Eccleſiaſticam & Politicam, quod ad morum diſciplinam & ſcelerum pœnas; at diſtinctio iſta ex Pontificum officina deprompta eſt; in ſcripturis verò ſacris nuſquam habetur. etenim in Novo Teſtamento, eandem eſſe rationem Magiſtratus conſtat, quæ olim in Veteri fuit, cum Chriſtus dixerit ſe non veniſſe ut legem diſſolvat, ſed ut impleat: at olim penes Judices & Reges fuit poteſtas animadvertendi in eos qui peccaverant, neque ſe ei negotio Sacerdotes & Prophetæ admiſcebant, niſi quoad admonitiones & correctiones, quas ex Dei verbo adhibebant pro delictorum ratione. Idem ergo in Novo Teſtamento obſervari debet, nec opus eſt ut verbi adminiſtri Senatum habeant peculiarem, aut, ut quæ politici Magiſtratûs ſunt, ſibi vendicent: poſſunt quidem morum cenſores conſtitui, quibus in republica majori omnino opus eſt, ubi ordinarii Magiſtratus non poſſunt negotiis omnibus ſufficere, at illi ſunt, non niſi ex Magiſtratûs authoritate creati, & ex ejuſdem mandato omnia agere debent, non per propriam & ab ordinario Magiſtratu diſtinctam poteſtatem.* alibi, poſtquam dixit excommucationem eſſe legem Magiſtratus, addit: *faciant aliæ urbes & gentes quod è re ſui populi putarint: quando conſtat eandem diſciplinæ formam ubique locorum cònſtitui & obſervari non poſſe: imo ne illis quidem ſuam felicitatem invidemus* (Genevenſes imprimis perſtringit) *qui ſuâ illa excommunicatione vel excluſione potius à cœna, cum aliquo fructu uti poſſunt*: obiter obſervabo ad id quod dicit, diviſionem illam poteſtatis in Eccleſiaſticam & Civilem nullibi in ſacra ſcriptura extare, nempe (quod valde mirum) vocabula poteſtatis & potentiæ centies occurrere in Novo Teſtamento, at nullibi ſumi pro poteſtate Eccleſiaſtica externa, ſed vel pro poteſtate Magiſtratûs, vel pro poteſtate illa in verbo, per quam homines vel formantur

[Margin notes: Homil. 11. ad Corinth. 5. — Homil. ibid.]

Digitized by Google

formantur ad fidem, vel firmantur fide; pari argumenti momento & pondere, quo omnis προστασία & ὑπεροχὴ Paſtoris in Paſtorem exploditur, quod cum ſæpiſſimè in Novo Teſtamento jubeatur populus Chriſtianus obſequi, & ſe ſubjicere ſuis Paſtoribus, & Rectoribus, nullibi tamen Paſtores jubeantur obedire ſuis Epiſcopis. Porro Gualterus hæc protulit edoctus in Schola Præceptorum, Martyris, Muſculi & Bullingeri. Hic Epiſtola ad Dathenum ait *contendi in Eccleſia diſciplinam eſſe debere, ſed ſatis eſſe ſi adminiſtretur à Magiſtratu.* Glorioſiſſimi Martyris Thomæ Cranmeri eadem ſunt ſenſa, verbaque, referente doctiſſimo Edoardo Stellingfleet, S. S. Theologiæ Doctore, & Regis Angliæ Sacellano (qui & ejuſdem eſt ſententiæ) ex veteri manuſcripto, quod affirmat eſſe ipſius Cranmeri autographum: ubi hæc leguntur.

1. *Epiſcopum non eſſe ordinem diſtinctum à presbyteratu, ſed conſtitutionem eſſe prudentem Civilis Magiſtratus, adhibitam in eum finem, ut tanto rectius gubernetur Eccleſia.*

Hæc Archiepiſcopus, qui contra privatam utilitatem agnoſcit προστασίαν Epiſcopalem eſſe conſtitutionem Magiſtratûs. Jam vidimus ejus primum authorem quoad Juriſdictionem Epiſcopi in Presbyteros fuiſſe Conſtantinum, cum antea priores eſſent Epiſcopi ſtatione & loco, non poteſtate: ſed quod ad rem præſentem facit habemus poteſtatem humanam, quæ eſt Magiſtratus, adhibitam in Eccleſia.

2. *Particularem formam regiminis Eccleſiæ determinari debere à Magiſtratu*: arrige aures VOETII; per id tua poteſtas Eccleſiaſtica ſeorſim à te habita ruit funditus.

3. *Ordinationem tum Epiſcopi; tum presbyteri, non in conſecratione, ſed in ſola electione eorum, facta vel à Magiſtratu vel ab Eccleſia, conſiſtere.*

Hac quoque theſi ordinatio quatenus ſupponitur actus poteſtatis Eccleſiaſticæ, planè concidit, & tranſit in poteſtatem Magiſtratûs, vel in poteſtatem liberi populi. Sane Rev. Meſtrezatius,

zatius, nuper Eccleſiæ Pariſienſis Paſtor, eadem reponebat. *Jus* inquit *miſſionis & ordinationis pertinet ad corpus Eccleſiæ, & Societatem fidelium, ſive in ea ſint Miniſtri ſive non.*

trac. de Eccleſia lib. 1. c. 14.

4. *Cum deeſſent Eccleſiæ Principes, quorum authoritate Miniſtri verbi Divini conſtituerentur, & vitia corrigerentur, nullum praſtò remedium fuiſſe, præter diſciplinam confœderatam, aſſumptam per mutuum conſenſum plebis Chriſtianæ.*

Hic quoque poteſtas VOETIANA patitur Lumbifragium: & reſpondetur argumento quod toties reponit, nempe quod Magiſtratus non eſt de eſſentia Eccleſiæ: hic enim præſupponitur non dari Eccleſiam ſine poteſtate Magiſtratûs, aut conſimili ejus defectum ſupplente; qualis eſt diſciplina confœderata.

5. *Paſtorum, imò Apoſtolorum poteſtatem, atque eorum mandata & imperia, non niſi in volentes haberi, & exerceri, & in eos qui bene monentibus & hortantibus præſtant ſe morigeros.*

Hic quoque poteſtas Eccleſiaſtica VOETIANA perit funditus.

6. *Excommunicationem perinde legem eſſe ſancitam, imperatam & decretam à Magiſtratu in Impios, atque legem de ablatis & de furtis, aut de homicidio.*

Hæc fuſius & explicatius exponit Cranmerus, ut habetur in autographo, in quo leguntur particulatim ejus reſponſiones ad quæſtiones Cleri, factas Præſulibus in camera Parium ſedentibus, referente reverendo Doctore Stellingfleet optimæ fidei viro, qui inſuper docet nos, in eam ſententiam plures de Epiſcopis conceſſiſſe, nominibus appoſitis. Sane videtur Calvinus aliquid inaudiviſſe de hac ſententia Cranmeri, & eo nomine poſitum inter illos viros pios & doctos, qui non exiſtimabant excommunicationem eſſe Divinam inſtitutionem, ſed arbitrariam conſtitutionem, ſeu imperatam à Chriſtianis Principibus, ſeu aſſumptam tanquam legem diſciplinæ confœderatæ, ſed quanquam foret Divinum inſtitutum perinde ac decalogus, nihilominus ad legem Magiſtratûs pertinere, juxta Wiclevi ſen-

Digitized by Google

ſententiam, qui omnem excommunicationem retentam in Eccleſia, non tanquam legem Magiſtratûs, exiſtimabat eſſe de fabrica Antichriſti.

Non poſſum ſicco pede tranſire ipſum Edoardum Stellingfleet in ſumma concordantem cum ſenſibus Ludovici Molinæi. *Irenicum* Is opere accuratiſſimo & fœtu viri ſubacti judicii, docet poteſtatem Eccleſiaſticam independentem à Magiſtratu, figmentum eſſe humanum, abhorrere à recta ratione, tum injuſtam eſſe alienæ poteſtatis occupationem: nam de excommunicatione (quæ ſola eſt ferula Eccleſiaſtica, quæ terrorem Bardis & Stupidis injicit) ſic loquitur in appendice ſuo ad Irenicum, *Ego aſſero vim & efficaciam excommunicationis in foro humano, à Civili poteſtate emanare, neque dari ullum proprium effectum, quod non fluat à ſanctione Magiſtratûs.* Ibidem docet dari provocationem à cenſura lata à Paſtore ad Magiſtratum, & ſine ejusſanctione irritam eſſe excommunicationem quamcunque.

In ſenſa Petri Martyris & Gualteri concedere Davidem Paræum norunt & eo nomine dolent vindices poteſtatis VOETIANÆ, ut non opus ſit eum hic allegare.

Sed nominandus eſt mihi alter Anglus (is eſt Richardus Baxterus) defæcatiſſimi judicii vir, tum doctiſſimus, &, quod caput eſt, purioris pietatis extra fucum habitæ Profeſſor, & vindex acerrimus. Is non minus quam Cranmerus, poteſtatem *Quinque diſputationes de regimine Eccleſiæ & cultu* VOETIANAM diruit & evertit, ego nonnulla ex ipſius opere de regimine Eccleſiæ in hanc diſſertationem transferam.

Poteſtas eminentiſſima Eccleſiæ in ſuo regimine eſt tantum authoritas dandi conſilia & directiones ad ſalutem obtinendam. *pag. 5. & 6.*

Poteſtas Eccleſiæ eſt de natura poteſtatis medicorum in ægros, aut Profeſſoris artium in adultos: non poſſumus noſtram ſententiam in deliquentes exequi niſi officii *arguantur, convicti propriâ conſcientiâ: deliquentes non aliam ab excommunicatione patiuntur pœnam præter eam quæ fit per convictionem erratorum propriorum.* *p. 7.*

Dicent mea ſenſa nimis accedere ad independentiſſimum qui ponit *p. 68.*

nit particularem congregationem pro primo ſubjecto regiminis Eccleſiaſtici, ad id reſpondeo, me non terreri vocabulorum ſonitu independentium & independentiæ nec propterea avocari à veritate amplectenda: dixi & dico, meam ſententiam circa regimen Eccleſiaſticum aliquid aſſumere ex Epiſcopalibus, Presbyterianis, Independentibus, & Eraſtianis: ſed in hoc Independentes rationem habere faventiorem, nempe in eo quod faciunt unamquamque Eccleſiam particularem primum & proprium ſubjectum regiminis Eccleſiaſtici.

p. 348. *Si objicitur me favere viæ congregationali* (id eſt, independentium) *aio, veritatem uſque adeo penes me eſſe, ut etiam ab Epiſcopalibus agnoſcatur, nominatim à Rev. Viro Jacobo Uſſerio, qui quidem non rogatus mihi dixit, Synodos non fuiſſe in eum finem inſtitutas, ut partem ullam habeant in regimine, ſed tantum eâ gratiâ, ut unionem & communionem inter Eccleſias integram ſervarent obiter adnoto, nullam eſſe poteſtatem Synodi (quaſi ſuperior eſſet) in Paſtorem, niſi ipſo conſentiente & ad ſervandam unionem & pacem Eccleſiarum: non quia præcepto Divino Paſtor tenetur ſe ſubjicere quatuor aut quinque Paſtoribus in cœtum coactis ut ſuperioribus & Poteſtati à Deo conſtitutæ.*

De ordinatione eadem ſentit cum Chemnitio, Gerardo, Chytræo, qui volunt ritum ordinationis, publicam eſſe teſtificationem & declarationem vocationis Divinæ: *Magnus eſt error* in- p. 147.
quit Baxterus *cenſere Ordinatorem aliquam conferre poteſtatem: uſum ſolum Poteſtatis Divinæ dat.*

p. 234. Alibi ait fuſius, eam poteſtatem immediatè à Jeſu Chriſto emanare; Paſtores tantum aperire januam, ut quod acceperunt
p. 141. à Domino electi in Paſtores, id exequantur, *qui ordinant, nullam conferunt Poteſtatem: actus ordinationis eſt actus Jeſu Chriſti permanens, qui immediatè confert hanc Poteſtatem.*

p. 291. Porro de excommunicatione ſic ſentit, ut credat, merè eſſe ſubductionem illius qui ſe virum pium reputat, & qui talis vult haberi à conſortio viri impii.

Cum ergo ſecundum Baxterum Synodis non alia ſit authori-

tas

tas quam perſuaſionis & facultatis animi ſui ſententiam ſuper materia propoſita declarandi, nullâque Juriſdictione ſint prӕditӕ Synodi, niſi per delegationem Magiſtratûs, aut particularium Eccleſiarum, quӕ vices Magiſtratûs gerunt, ubi eſt otioſus Magiſtratus; planè conficitur Poteſtatem Eccleſiaſticam, quam VOETIUS affigit Conſiſtoriis & Synodis, eſſe inanè nomen ſine re, niſi reducatur ad claſſem vel Magiſtratûs vel nudam authoritatem conſilia dandi, non imperandi, aut obligandi ad parendum ejus canonibus.

Ad alios progredior, nempe ad magnum authorem, virum Eccleſiaſticum, Anglumque, tam Hierarchiӕ Anglicanӕ amicum, quam Baxterus ab ea eſt averſus, ita veritas ubique obſtantia perrumpit, ut futilitas Juriſdictionis Eccleſiaſticӕ non tantum à magno Puritano ut eſt Baxterus, ſed & ab infulӕ Epiſcopalis Hierarchiӕque Anglicanӕ vindicibus & Patronis agnoſcatur: quin & à nonnullis Pontificiorum, ut fuit Toſtatus & Antonius de Dominis (ſi tamen hic Pontificiis accenſendus eſt) noſter ergo Anglus ſic loquitur in opuſculo de *Epiſcopali hӕreditate.*

Huic anonymo, Gentilis ὁμόψηφος prӕmittendus erat, Richardus Hookerus, vir ingenio, judicio & eloquentiâ clarus & itidem Hierarchiӕ Anglicanӕ vindex acerrimus, ut ipſe ſe prodit libro luculento de Politia Eccleſiaſtica, in quo Hierarchici mirè ſibi plaudunt, eoque immenſum quantum gloriantur, oſtentantes ejus ſcripta, tanquam quarta & opima Spolia de Puritanis reportata.

Hic ergo Hookerus juxta ac anonymus cenſet hoc effatum eſſe Pontificium dogma *Regimen Eccleſiaſticum eſt diſtinctum à Politico*, Namque,

1. In regimine Eccleſiӕ diſtinguit actus Sacerdotii ab actibus Imperii; his quidem peractis pariter & ex ӕquo, tum à Magiſtratu aut poteſtate analoga, tum à viris Eccleſiaſticis, ſeu Sacerdotibus, Levitis &c. ſeu Epiſcopis & Paſtoribus, non quatenus ſunt viri Eccleſiaſtici, ſed principes familiarum, prudentiâ

 prӕditi

prædìti & uſu rerum edocti, illis verò à ſolis Sacerdotibus.

2. Secundum quæ pertendit actus Sacerdotii ut ſub lege offerre, ſacrificare, acerra accenſâ fumigare ſic ſub Evangelio, Prædicare, Sacramenta adminiſtrare, ſeorſim habendos & exercendos à Sacerdotibus, nec communicandos cum gente Laica: at actus Imperii qui exercentur extra cultum, ſeu Leviticum, ſeu Evangelicum,non habendos ſeorſim,nec à Sacerdotibus, nec à Magiſtratu, ſed huic & illis ex æquo deberi, quales ſunt actus indicendi Synodos, Synedria, Synagogas; condere leges Eccleſiaſticas, jus ſuffragii habere, decretis ſanctionem legum imprimere, cenſuras infligere.

3. Pertendit parem eſſe rationem regiminis Evangelici, atque Levitici, & tum ſub lege, tum ſub Evangelio Eccleſiam in Republica eſſe, hanc & illam ſub uno Imperio eſſe.

4. Et eatenus in regno Regem eſſe caput Eccleſiæ, quanquam non ratione Sacerdotii, ſed Imperii.

5. Ex eo quod Magiſtratui & Sacerdotibus ex æquo competit Imperium, conficit, tam viris Eccleſiaſticis jus ſuffragii convenire in regimine Reipublicæ, quam Judicibus populi, & principibus in regimine Eccleſiæ.

6. Regibus ſummum judicium & Imperium circa ſacra tribuit exemplo Davidis, Aſæ, Joſaphat, Conſtantini, Theodoſiorum.

7. Hancce Poteſtatem à Sacerdotio abjudicat, licet non à Sacerdote; nam non prohibet quominus eandem perſonam & Sacerdotis & Magiſtratus ſuſtineat idem homo.

Porro ne quid videar Imputare viro graviſſimo & conſultiſſimo, aliquot ex eo juvat loca exſcribere, quæ hiſce corollariis ſunt conſona.

Lib. 8. pag. 184. initio libri.

„Non fuit viſum conveniens in Judaica Republica ut exercitium ſuprematûs Eccleſiaſtici denegaretur illi, ad quem exercitium

„ tium Civilis ſuprematûs pertinebat: quam quidem poteſtatem
„ licet Simoni dederint, nihil tamen ea in parte indultum eſt illi
„ quod cæteris ante eum attributum non fuerit qui non erant
Sacerdotes (quod docet ſuprematum in Eccleſiaſticis conceſſum
Simoni, aut arreptum & adminiſtratum ab eo, non vi aut
virtute Sacerdotii ſed ſummæ Magiſtraturæ quam ſuſtinebat)
„ per eam poteſtatem David, Aſa, Joſaphat, Joſias fecerunt leges
„ circa materiam religionis & negotia templi cultûsque Divi-
„ ni, denique niſi iſtius poteſtatis interventu id factum fuiſſet
„ qui fieri potuiſſet, ut Regum tum pietas, tum impietas ſem-
„ per immutaret publicam faciem religionis? quod quidem
„ monſtrat, *Suprematum in omnes* in Rege ſitum fuiſſe; niſi ubi
„ & ipſi Principes populi eſſent & Reges, atque ſecundum hoc
„ exemplar eadem poteſtas in Eccleſiaſticis per leges regni coro-
„ næ Regum noſtrorum affigitur.

Ibidem docet Eccleſiam Judaicam à Republica non diſcrepaſ-
ſe, nec ullam rationem dari, cur Juriſdictiones ſub Evange-
lio non debeant perinde in unam coaleſcere atque ſub lege:
„ differentia, *inquit*, vel negotiorum vel officiariorum Eccle- 187.
„ ſiaſticorum à ſecularibus, non eſt argumentum quod Eccleſia
„ & Reſpublica ſeparata ab invicem debeant eſſe ſubjecta atque
„ independentia.

Pag. 189.

„ 1. Sub dominio infidelium Chriſti Eccleſia & eorum Reſpu-
„ blica erant duæ Societates à ſe invicem independentes, 2. in
„ illis Societatibus ubi Epiſcopus Romanus dominatur, una
„ eademque Societas eſt Eccleſia & Reſpublica, Alias ſolenne
„ eſt Epiſcopo Romano dividere Eccleſiam à Republica, nec ſu-
„ ſtinet Eccleſiam dependere à quoquam Civili Principe, verum
„ in hoc regno Angliæ res alia eſt: differimus à Paganis quod
„ apud nos una Societas ſit tum Eccleſia, tum Reſpublica. Dif-
„ ferimus & à Papa in eo quod Eccleſia noſtra dependea ab
„ eo à quo & Reſpublica dependet, & qui eſt Caput Reipublicæ,

„ uno

Digitized by Google

,, uno verbo dicam, ſtatus noſter eſt ſecundum exemplum po-
,, puli Dei quem olim ſibi elegerat, qui quidem non erat partim
,, Eccleſia, partim Reſpublica, ſed idem populus qui & Eccleſia
,, & Reſpublica, uni eidemque ſupremo gubernatori ſubjicieba-
,, tur; à cujus ſuprema authoritate omnes dependebant.

Lib. 8.

,, Duo genera adverſariorum militant contra ſupremam Re-
,, gum poteſtatem circa ſacra; quidam enim pertendunt pote-
,, ſtatem in cauſis Eccleſiaſticis per totum terrarum orbem Jure
,, Divino pertinere ad Papam, alii eam poteſtatem in unaquaque
,, Eccleſia nationali ad clerum inibi in cœtum coactum. Nos
,, qui hos & illos juxta oppugnamus, aſſerimus eam poteſtatem
,, unicuique Regi intra dominium ſuum deberi.

pag. 211. ,, Ut conſentaneum eſt viros Eccleſiaſticos jus ſuffragii ha-
,, bere, in Civilibus, ſic non deneganda Regibus poteſtas in Ec-
,, cleſiaſticis leges ferendi.

pag. 215. ,, Poteſtas offerendi &c. ſolis Sacerdotibus competebat: at
,, poteſtas juriſdictionis non ſolum Sacerdotibus ſed & aliis de
lib. 8. ,, gente Laica debebatur. Si Reſpublica amplectitur Chriſtianam
,, religionem id ipſum conſtituit eam Eccleſiam & aſtringit ut
,, imprimis ordinet & curet ea quæ ad cultum Divinum attinent.
In quam rem allegat Architam de lege & juſtitia *δεῖ τὸν νόμον τὰ περὶ θεὼς καὶ δαίμονα καὶ γόνεαι καὶ ὅλως τὰ καλὰ, καὶ τίμια πρῶτα τίθεσθαι.*

lib. 8. Ubique conſtituit in Eccleſia duas poteſtates, unam Sacerdotis, ſeu verbi, clavium ligandi & ſolvendi quam Spiritualem vocat, agens in volentes, & quæ externum hominem non cogit: alteram externam, cujus Rex caput eſt. *Rex* (inquit) *eſt caput Eccleſiæ quatenus Eccleſia eſt caput Politicum, non quatenus Eccleſia eſt caput fidelium, neque enim ejuſmodi Eccleſia aliud caput habet præter Chriſtum.*

lib. 6. Fateor eum affigere Sacerdotio poteſtatem excommunicandi ſed non aliam quam quæ eſt ſententiæ occultioris in cœlo factæ

cum

Digitized by Google

eum quidam ex noſtris aſcribunt opus remiſſionis Deo, & eam interpretationem dant ſententiæ Sacerdotali, ligandi & ſolvendi, ut ſolummodo ſit ſolennis declaratio rei apud Deum jam peractæ & præſtitæ. Papiſtæ id rident, & contra Urgent, ſi ita ſe res haberet, tum potius Dominum noſtrum dicturum fuiſſe, quicquid ſolutum in cœlis, ſolvetis in terris, quam quicquid ſolvitis in terris, ſolvetur in cœlis.

Quem non hic admiratio ſubeat extare in rerum natura viros pios & doctos tanto præjudicio abreptos, ut odioſè exagitent & circumducant Ludovicum Molinæum, ob aſſertas δόξας geminas & germanas illarum quas graviſſimi illi & conſultiſſimi Theologi Angli non dubitarunt proferre tanquam ſanas & veritati Divinæ congruentes? ob quas tamen Judicio etiam ſummi viri Samuelis Bocharti (nunc inter beatos) relegandus erat non ita pridem ad gentiles & agnatos, tanquam vir emotæ mentis & vinculis Hippocratis conſtringendus. At ab aliis non minus cognatione proximis Molinæo, quam fuit Bochartus, eo nomine damnatus teterrimæ hæreſios, ut decuit illum quem flagellum Eccleſiæ vocant, cum tamen tantam invidiam ſuſtineat à Chariſſimis capitibus nullo ſuo merito. Gravant enim eum quaſi Magiſtratum converteret in Rectorem & Eccleſiæ Præpoſitum, & in manus ejus traderet claves regni cœlorum, veſtiretque poteſtate ligandi & ſolvendi, conſtitueretque Judicem controverſiarum in negotio fidei & religionis, ſin minus, unumquemque de gente laica faceret Judicem controverſiarum, à quibus dogmatibus abhorret, ut qui maxime: quod quidem patebit, per conſpectum quem exhibemus in brevi quaſi tabella poteſtatis quam tum Paſtoribus tum Magiſtratui deberi vult in regimine Eccleſiæ.

1. Ante omnia duo actuum genera vult produci ab omni hominum ſocietate, unum Functionis, alterum Juriſdictionis, Primum quidem genus produci ab hominibus quatenus ſunt verbi Dei miniſtri, Chriſtiani Theologi, Philoſophi, artis & ſcientiæ periti, Medici, Mercatores, Fabri; qui quidem qua

 tales

tales omni Juriſdictione ſunt exuti, ſed facultate duntaxat prædíti, ſenſa ſua, tum Dei, & aliorum proferendi ſuper quacunque re propoſita. Secundum verò genus ab iſtis peragi, non qua tales, ut enumeravi, & deſcripſi, functione artis & ſcientiæ peritia præditos, ſed Juriſdictione veſtitos, & quali in Magiſtratum cadit.

2. In producendis actibus primæ claſſis, quæ eſt functionis & peritiæ, adhiberi Judicium ſuaſorium, diſcretivum, & declarativum, at in producendis actibus ſecundæ claſſis, adhiberi Judicium Imperativum; hoc cogens, & etiam in nolentes: Illud in volentes tantum.

Hiſce præmiſſis facile conſtabit quid cauſæ ſit Molinæum reum peragere violati miniſterii, & in Magiſtratum collati.

1. Nam certum eſt in actibus producendis primi generis, nullas Molinæum in regimine Eccleſiæ quatenus Eccleſia eſt, & cœtus fidelium adjudicare partes Magiſtratui, Nullas claudendi & aperiendi regnum cœlorum! Nullasque ligandi & compedibus peccati ſolvendi, ut eatenus dicatur Rector & Caput Eccleſiæ. Nam nec Magiſtratus caput eſt Medicorum, Mercatorum & Fabrorum in cœtum congregatorum.

2. Sed in actibus ſecundi ordinis & generis producendis, & quatenus Eccleſia (non minus quam cœtus Medicorum) eſt corpus politicum: tum in ejus regimine æquas propemodum partes Molinæum aſcribere Paſtoribus cum Magiſtratu, ita tamen ut hic proprie ſit ejus caput, ut eſt omnis ordinis externi & poteſtatis cogentis habitæ, ab omni familia, & ſocietate, ſeu Politica, ſeu Eccleſiaſtica, & eatenus Conſtantinus dicebat ſe Epiſcopum Eccleſiæ.

3. Par ratio Judicii, quod in regimine Eccleſiæ & in controverſiis circa fidem & religionem enodandis, & quatenus Eccleſia eſt cœtus fidelium nullum aſcribit, nec declarativum, nec ſuaſorium, ſed duntaxat Imperativum, & quatenus Eccleſia conſideratur ut corpus politicum, quod quidem Judicium

Judicium Imperativum, ne quidem Molinæus abjudicat à paſtoribus, licet eis non competere credat quatenus paſtores ſunt, nec magis quam Medicis, Mercatoribus & Fabris in cœtum congregatis competit Juriſdictio.

Denique, quis non videat apud Richardum Hookerum totum Syſtema Molinianæ Paræneſeos, quod verſatur circa 4. hoſce cardines.

1. In regimine Eccleſiæ duo maxime conſpicua eſſe. 1. Sacerdotium ſeu Miniſterium ſacrum. 2. Juriſdictionē ſeu Imperiū.

2. Hoc ad Magiſtratum ſolum aut ad Poteſtatem Poteſtati Magiſtratûs analogam. Illud ad ſolos viros Eccleſiaſticos quâ tales, pertinere.

3. Exercitium Imperii ex æquo pertinere ad Magiſtratum, & ad viros Eccleſiaſticos, licet ad hos, non ſub ratione Sacerdotii, ſed Civium & Patrum familiarum.

4. Secundum quæ ſummum Imperium, ſummam Juriſdictionem circa ſacra, pertinere, nec ad Sacerdotium, nec ad Sacerdotem, qua talem, ſed ad ſummum Magiſtratum.

Profectò cum eadem dicta video in ſiniſtram interpretationem rapi, ubi à Molinæo proferuntur, at prolata ab Hookero probari & laudari, mihi in mentem venit dicti Pliniani, *quam multum intereſt, quid à quoque fiat. Eadem enim facta claritate vel obſcuritate faventium aut tolluntur altiſſimè, aut humillimè deprimuntur.* Lib. 6. Ep. 24.

Nam quis hunc locum Plinii non exiſtimet quadrare diverſis hominum judiciis, eandem ſententiam in Molinæo damnantibus, tanquam impiam, hæreticam, omnia in Republica & Eccleſia commiſcentem, totumque ordinem, tum Divinum, tum Humanum perturbantem! at in Richardo Hookero exoſculantibus & probantibus tanquam concordantem non ſolum cum Jure Divino & humano, ſed & cum Hierarchia Anglicana, quam tum Hookerus, tum Hierarchici Angli volunt ad exemplar perfectiſſimum populi Dei ſub lege

atque ſub Evangelio conformatam eſſe, uno ex Hierarchicis affirmante, & hoc effatum proferente ex tripode characteribus uncialibus ad rei memoriam imprimendum. *Hierarchiam Anglicanam propius accedere ad regimen Eccleſiæ primitivæ & Apoſtolicæ, quam ulla ex Papiſmo reformatarum in toto mundo Eccleſiarum.* Id tametſi non exiſtimat Molinæus per omnia eſſe verum. Attamen ille & Hierarchici in ea veritate conſpirant cum Hookero, ut credant ex æquo ſummum Imperium (imò judicium) circa ſacra eſſe penes Magiſtratum ſummum.

Præfat. ad Novitatem Papiſmi Angliæ editam.

p.22. „Dogma eſt Pontificium, Regimen Eccleſiaſticum & diſtinctum à Politico quod Bellarminus deffendit (tanquam „rem conceſſam) eo ſolum conſilio, ut Papalem Hierarchiam „ſupra Reges & Principes extolleret & Clerum eximeret à ſe„culari authoritate. Calvinus idem affirmat Inſtit. lib. 4. cap. 11. „§. 1. &c. ſed pace eorum dixerim, craſſum hunc errorem eſſe „exiſtimo, licet id dogmatis ſit vulgare idolum, quod quiſ„que animo ſibi figuravit, non aliam ob rationem, quam „quod in regno noſtro, (& forſan in pleriſque aliis regnis) di„viſæ ſunt curiæ Juridicæ Civiles, ab Eccleſiaſticis ſunt diſtin„ctæ: quem quidem non puto fuiſſe antiquum morem, neque „optimam rationem jus dicendi. Extat diſcurſus ab advocato „Parthero, modò editus de Puritanis, ubi pag. 29. Calvinum „nec injuriâ damnat, quod ſecundum Pontificia fundamenta „aſſerat ſpiritualem Juriſdictionem differre à temporali, eo „quod ad eoſdem fines non colliment, ſed ad diverſos, qui qui„dem per varia media obtinentur, ſed, inquit Partherus, ſpiri„tualis Magiſtratus, ut opinor, non poteſt ſibi alium finem „proponere ab eo, quem intendere debet ſecularis Magiſtratus; „nam Princeps, aut debet omnem curam deponere honoris, „qui Deo impenditur & boni humani, & præcipui medii quod „adhibetur ad utrumque obtinendum, qui eſt religionis, aut „omnino debet tendere ad eos fines ad quos Prælatus, nempe „primum vindicando religionem per expulſionem & correctionem

„ nem eorum qui ſcandalo percellunt infirmos: deinde inno-
„ centem protegendo & ſervando ſartum & tectum à malorum
„ contagione & per relegationem eorum qui palam, vitia ſua af-
„ fricant: tertiò præveniendo ulteriorem obdurationem & pro-
„ curando pœnitentiam transgreſſorum inflicta correctione &
„ correptione ſalutari. Sic Partherus & ego convenimus: ſcopus
„ & finis utriuſque idem eſt,ut ipſe paulò ante dicit: Clerici cum
„ ſint ex æquo cives Reipublicæ, & filii Eccleſiæ, & eorum res
„ & controverſiæ perinde poſſint eſſe noxiæ Reip. & detrimen-
„ tum afferre Eccleſiæ, unicum duntaxat ad remedium poteſt
„ conſtitui caput, quod imperet in utraque, & in utramque, ac
„ utrique caveat: planum etiam eſt plures cauſas partim eſſe
„ temporales, partim Spirituales, & vix ullam uſque adeo eſſe
„ temporalem, quæ non aliquo modo poſſit referri ad res ſpiri-
„ tuales, & viciſſim nullam extare adeo ſpiritualem, quæ non
„ aliqua ratione contingat res temporales: ut nunc ſubjectis non
„ poſſint ritè dividi Eccleſiaſtica & temporalis Juriſdictio. Mox exemplo Eccleſiæ Judaicæ & authoritate Bertrami & Sigonii docet juriſdictionem Eccleſiæ non differre quicquam à juriſdictione Civili. En Patronus Epiſcoporum, operam ſociam cum Parthero & Baxtero, Puritanorum patronis, in confundendis juriſdictionibus quas Pontificii & VOETIANI, facto fœdere, dividunt.

Datur & Richardus Hookerus maximus Hierarchiæ Anglicanæ patronus ex æquo poteſtatem VOETIANAM à culmine ad ima præcipitans.

Duo genera adverſariorum militant contra ſupremam regiam poteſtatem circa ſacra, quidam enim pertendunt, poteſtatem in cauſis Eccleſiaſticis per totum terrarum orbem Jure Divino pertinere ad Papam: alii eam poteſtatem in unaquaque Eccleſia nationali ad Clerum inibi in cœtum coactum; nos qui hos & illos juxta oppugnamus, aſſerimus eam poteſtatem unicuique regi intra dominium ſuum deberi, mox implet plures paginas, ut probet, duas po- *Libro 8. Politiæ Eccleſiaſticæ*

 teſtates,

teſtates, Eccleſiaſticam & Civilem, collateraliter habitas, & adminiſtratas, eſſe inſociabiles, nec ſine perpetua perſonarum & cauſarum colliſione conſiſtere poſſe, idem dicens quod Muſculus, ſupra à nobis allegatus.

Quæcunque ſint Clariſſimi Mareſii ſenſa de poteſtate Eccleſiaſtica, quam non tutum eſt convellere in Belgio, ibi regnante VOETIO, non majoris facit poteſtatem Synodicam, quam medicam, ſeu medicorum conſultorum ſuper ægri valetudine *Miniſtri* inquit *Eccleſiæ in Concilio non tam referunt Judices ad Senatum evocatos, quam doctores prudentes & peritos ad conſilium coactos & quæ eſt medicorum conſultatio circa valetudinem corporis, talis eſt Synodorum conſtitutio in rebus ad animam ſpectantibus.*

Col. Theol. loc. 16. 577.

Nec Riveti, neque Vedelii alia eſt ſententia circa poteſtatem Eccleſiaſticam à ſenſibus Thomæ Cranmeri, neque diverſus abit Reverendus Eccleſiæ Dieppenſis Paſtor, Vauquelinus, ut teſtantur plures ejus ad Ludovicum Molinæum Epiſtolæ ſcriptæ, & nunc typis evulgatæ, in quibus profitetur, ſe non dubitare, quin poteſtas Eccleſiaſtica, ejuſque tradux excommunicatio, ſint mera humana figmenta, & de officina Papæ deprompta, quin unum aut alterum ex collegis, nominatim Fockembergium, eadem ſentire, poſtquam pervictus fuit lectione Molineanæ Paræneſeos, cujus hypotheſes tantum abeſt ut credat convellere diſciplinam Eccleſiarum Galliæ, ut contra firmare, & in ſolido locare eam plane exiſtimet & pro certò habeat, ut tertium collegam Cartantium itidem Dieppenſem miniſtrum, virum ſpectatum, non allegem, tanquam conſpirantem cum Molinæi ſententia.

Nec minus fortiter Poteſtas VOETIANA diruitur, & evertitur ab Illuſtribus laicis. Imprimis à Salmaſio, qui paſſim in apparatu, & libro de primatu, nullam admittit poteſtatem in Eccleſiam, mediam inter poteſtatem functionis, & poteſtatem Magiſtratûs; hanc vult in corpora, illam in ſolum animum
p. 138. agere, & docet, poteſtatem functionis omni juriſdictione denudatam

nudatam eſſe, cæterum multum facit ad cauſam eorum qui VOETIANAM poteſtatem impugnant, quod ejus vindices ſolummodo reperias in Belgio, eoſque tantum, qui plus dominantur in conſiſtoriis, & cœtibus Eccleſiaſticis, quam in Academicis, in quibus paſſim videas Maccovios, Gallos, Rivetos & Vedelios evertentes poteſtatem VOETIANÆ ſimilem, & pro cathedra aſſerentes, licere læſis ab Eccleſiaſticis judiciis provocare ad Magiſtratum politicum.

CAPUT III.

Catena conſiderationum & propoſitionum obvia & expoſita intelligentia, & ſic accomodata ad captum rudiorum, ut nemo eorum deinceps dubitet, quin poteſtas Voetiana media inter poteſtates duas adminiſtratas à Paſtoribus, unam internam quæ eſt verbi, alteram externam quæ eſt poteſtas aut delegata à Magiſtratu, aut aſſumpta jure naturali & humano, quæque in omni cœtu conſpicua eſt, ſeu civili, ſeu Eccleſiaſtico, ſit abſurda, inficeta, & chimerica, tum damnoſa illis qui eam tractant, quatenus eos exuit poteſtate reali & civili.

SECTIO I.

Illarum conſiderationum enumeratio.

1. IN omnibus cœtibus hominum cujuſcunque ordinis, ſtationis & conditionis qui agitantur ad negotia vel hujus vitæ vel futuræ, duplex ſe exerit poteſtas, una quæ eſt artis, ſcientiæ & functionis, quæ agit perſuadendo, movendoque affectus internos animi ad aliquid externè dicendum & agendum aut per ſe aut per alium, ultrò & citra coactionem, altera quæ eſt poteſtas externa, opus tum prudentiæ humanæ, tum authori-

authoritatis, ſe vel alios cogentis aut obligantis ad illud efficiendum, quod aliquando non concordat cum natura prioris poteſtatis.

2. Hæ duæ poteſtates natura differunt 1. prior in volentes eſt tantum, poſterior in volentes & nolentes ſe exerit 2. prioris leges & dictata non ulterius ſunt validæ quam quia aut bonæ, veræ, & juſtæ, aut revera tales eſſe videntur ab illo, aut illis qui eis obtemperant, poſterioris verò poteſtatis leges eatenus ſunt validæ, non quia bonæ veræ & juſtæ, ſed quia ſic decrevit & voluit poteſtas 3. prior nemini unquam volenti facit injuriam, altera contra ſæpe 4. poſterior obtemperat multitudini, prior veritati.

3. Atque hæ duæ poteſtates conſpicuæ ſunt & ſe exerunt in omnibus cœtibus hominum, cujuſque generis, ordinis & ſtationis, ſive poteſtas ſumma ſecularis in eos inquirat, ſive non: quod quidem probari poteſt inductione facta in ſingulis hominum cœtibus.

4. Imprimis utraque poteſtas conſpicua eſt in cœtibus celebratis à Paſtoribus & Chriſtianis ad cultum Divinum & res Eccleſiæ ordinandas, ut jam.

5. Licet Poteſtates ſeculares non ſe immiſcerent cœtibus, negotiis & rebus Paſtorum & Chriſtianorum; attamen poteſtas ſecundi ordinis non minus eſſet poteſtas Magiſtratûs, nec ſi ab eo non eſt delegata, minus eſſet poteſtas poteſtati Magiſtratûs analoga, quatenus aſſumpta eſt à cœtu, Synodo, aut Eccleſia, vel per mutuum conſenſum, vel per diſciplinam confœderatam.

6. Ac proinde concidit & ruit magnum Voetii *αἴτημα*, quod Magiſtratus non ſit de eſſentia Eccleſiæ.

7. Sub Magiſtratu Chriſtiano pio & orthodoxo, & cui cordi ſunt res Eccleſiæ, poteſtas ſecundi ordinis illi ſubjicitur per ſubordinationem.

8. Magiſtratus non eſt rector nec caput Eccleſiæ in ordine

ad

ad poteſtatem primi ordinis, ſed in ordine ad poteſtatem ſecundi, alias non poteſt ſic vocari niſi cum maxima ἀκυρολογίᾳ nec minori, quam ſi Rex qui præeſt omni ordini humano in Academiis, ſcholis, collegiis, ſocietatibus quibuſcunque, diceretur caput Philoſophorum, medicorum, mercatorum & fabrorum, nam ne quidem ut Rex eſt caput Chriſtianorum licet Chriſtianiſſimus, adeoque nec Eccleſiæ.

9. Secundum quod poteſtas primi ordinis eſt vera & ſola poteſtas Paſtorum per quam ſolummodo & non per poteſtatem ſecundi ordinis dicuntur Vicarii, Legati, Præcones, œconomi, Rectores, Epiſcopi, Præpoſiti, & Gubernatores Eccleſiæ.

10. Ejuſque poteſtatis tradux eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi, peccata remittendi & retinendi, aperiendi & claudendi regnum cœlorum.

11. Atque hæc poteſtas quæ eſt primi ordinis poteſtas, non pertinet ad Magiſtratum, nec ad Seniores.

12. Sed ad Magiſtratum, Seniores & Paſtores juxta & ex æquo pertinet poteſtas ſecundi ordinis, Magiſtratui quidem ut ſummæ: Paſtoribus & Senioribus ut ſubalternæ.

13. Ad Paſtores quidem (ut olim ad Sacerdotes, Levitas, & Prophetas) pertinet poteſtas ſecundi ordinis, non quatenus ornati ſunt ſacrâ functione, ſed quatenus ſunt homines (& libera capita) præditi poteſtate humana, delegatâ, aut aſſumpta, tùm quia doctrinâ, pietate, prudentiâ, rerum uſu ſunt conſpicui, atque Juris Divini humaniq; ſunt conſulti ſupra reliquos hominum ordines.

14. Quibus ideo non ſolum ſolis deberentur conſeſſus in Synodis & Conſiſtoriis, ſed & potiores (modò non primæ) in adminiſtratione Reipublicæ, ac privatis Reipublicæ conventibus.

15. Ut jam non opus habeant Paſtores locupletari additamentis chimericis, petitis à poteſtate Eccleſiaſtica, cum ipſis ſolis competat poteſtas primi ordinis, at illis æquales pænè partes competant cum Magiſtratu in adminiſtratione poteſtatis, quæ eſt ſecundi ordinis, quæ, tum intra, tum extra Eccleſiam, exercetur.

H 16. Exer-

Digitized by Google

16. Exercitium poteſtatis primi ordinis, quæ ſola pertinet ad Paſtores Evangelicos, tam latè patet, quam res, negotia, conditiones, leges, jura, officia, & munera hominum, ut poſſit ſententiam dicere ſuper quacunque re, & declarare, tum hortari, monere, imò jubere in nomine Dei, & cognoſcere de omni negotio, cui ſubeſſe poteſt recta aut obliqua voluntas, Juſtitia, æquitas, peccatum & error, tum judicii, tum voluntatis.

17. Ex adverſo poteſtas ſecundi ordinis poteſt de omni negotio, re & homine cognoſcere, Leges condere, ſancire, cogere pro imperio ad obſequium, vel ad pœnam.

18. Poteſtas ſecundi ordinis habita, exercita, & adminiſtrata intra & extra Synodos & Conſiſtoria, non tantum propriè dicta & vera eſt juriſdictio, ejuſdemque naturæ cum poteſtate Magiſtratûs, ſed & Juſte & Legitimè à miniſtris Evangelii exercetur & adminiſtratur, idque jure Divino, tum naturali tum inſtituto.

19. Illa poteſtas ſecundi ordinis non eſt poteſtas functionis Sacræ, quæ per miniſterium Evangelicum exercetur ad converſionem hominum ad fidem, & ad firmandum eos in fide, perducendumque ad ſalutem per prædicationem verbi, adminiſtrationemque Sacramentorum, quæque pertinet ad poteſtatem primi ordinis.

20. Ac proinde actus poteſtatis VOETIANÆ non pertinent ad primum ordinem, ſed ad ſecundum.

21. Ex prædictis meridianâ luce clarius palam fit, nihil magis pugnare cum ratione & ſenſu communi, quam vocabulis Spiritualis & Eccleſiaſticæ denominare poteſtatem ſecundi ordinis, quæ naturæ ejuſdem eſt cum poteſtate magiſtratûs.

22. Nec minus ex ſuperioribus liquet, non dari ullam poteſtatem mediam ſuper poteſtatem primi ordinis & poteſtatem ſecundi, quin vanam, futilem & inutilem eſſe, ac in nullum uſum comparatam.

SECTIO II.

SECTIO II.

Inductione probatur quod duæ poteſtates diſtinctè apparent in omni hominum cœtu, aut Societate, una functionis, altera Juriſdictionis, ſeu poteſtatis, de Jure communi, & naturali, & gentium aſſumpta vel delegata: parem eſſe rationem cœtuum Eccleſiaſticorum.

Licet per ſolam inſpectionem vel furtivis tantum oculis hypotheſεων quas enumeravi ſuperiori ſectione, palam fiat, quam abſurda & inficeta ſit poteſtas VOETIANA, quam perperam Eccleſiaſtica ab eo appelletur, quam ἀλόγως ſtatuatur media inter poteſtatem primi & illam quæ eſt ſecundi ordinis: attamen juvat illas explicatius ob oculos ponere, non ſervato ordine quo poſitæ ſunt, ſed eâ methodo quæ rem quam ſuſcepi probandam, altius animis infigat.

Quod ſpectat primam conſiderationem, non eſt neceſſe illi diu immorari. Nemo quod ſciam affirmaverit abhorrere à recta ratione, tum pugnare cum jure naturali & gentium, aut cum jure Divino inſtituto ac revelato, ut plures aut pauci homines habeant poteſtatem coeundi in cœtum, vel ad privata negotia tractanda, vel ad cultum Divinum celebrandum, inconſultâ ſumma poteſtate, modò per eos cœtus pax publica non laceſſatur: quanquam nec puto Magiſtratum jure poſſe facere gratiam cultûs Divini, eumque in totum prohibere. Sanè cum Jeſus Chriſtus dixit, ſe fore in medio duorum aut trium, qui ad eum colendum convenerunt, non præmonuit eos ut prius expectarent conſenſum aut Tiberii, aut Præfectorum loci, nec crediderunt fideles ſub Jeroboamo, aliiſque Principibus Idololatris, nefas eſſe celebrare cœtus privatos ad colendum Deum, citra cognitionem aut conſenſum ſuorum dominorum. Ubique Philoſophis, Mathematicis, ejuſdemque artis & ſcientiæ ſociis, ſo-

lenne fuit habere ſuas hæterias & in unum locum convenire, de ſua arte & ſcientia ſtatuere, ſermones habere ſine timore aut periculo audiendi perturbatores reipublicæ.

In ſumma, ſi homo animal ἀγελαῖον, & Sociable poteſt de Jure naturæ & gentium ſe ad alios homines aggregare & cum illis habere ſtatas coitiones, de negotiis privatis, de ſtudiis communibus, de mercatura, inconſulto ſummo Magiſtratu, multò magis licebit fidelibus, ejuſdem viciniæ advenis vel convenis in unum locum coire ad ſociandos & commutandos ſermones quibus ſe mutuò in fide firment.

Porro licet hominum qui in cœtus conveniunt, varia ſit conditio, ſtatio, functio, ſcientia, ars; imò religio, variaque ſint eorum negotia, Judicia, conſilia, quæ ſumuntur in quovis cœtu, attamen una eademque prudentia, poteſtas, Juriſdictio, ſe extendunt ad regimen omnium cœtuum. Eadem eſt regula aptata cuivis Chartæ, atque eadem ulna laneam veſtem & bombicinam juxta emetiens, ut præter illam per quam unuſquisque qui cœtûs partem facit, facultatem & poteſtatem habet ſententiam & ſenſa ſua declarandi ſuper arte, ſcientia, & diſciplina quam profitetur, & cujus eſt peritus, neceſſe ſit accedat altera poteſtas, per quam homines ejuſdem aut diverſæ artis, ſcientiæ, & opinionis, ſuper quacunque re propoſita in cœtu conſilia ſumunt, deliberant, definiunt, ſtatuunt, conſtituunt & decernunt, leges condunt & imperant, coguntque vel ad obſequium vel ad pœnam.

Atque ex eo facile eſt intelligere, poteſtatem omnem, quæ ſe exerit in quovis cœtu, duorum generum actus producere, unum quidem quale eſt Philoſophorum, Medicorum, Fabrorum, Mercatorum, adde & Theologorum, Paſtorumque qua talium, alterum quod eſt eorum actuum, quos illi homines producunt, qui ſe poteſtati & ordini humano ſubjiciunt communi omnibus hominibus. Poteſtas prioris claſſis & ordinis eſt poteſtas Functionis, poſterior eſt poteſtas Juriſdictionis, analoga

poteſtati

poteſtati Magiſtratûs, quæ ſemper in omni hominum cœtu reſidet, aut per poteſtatem aſſumptam à cœtu abſque Magiſtratu, aut delegatam ab eo.

Atque id palam fieri poteſt inductione facta in ſingulis cœtuum generibus, puta philoſophorum, mercatorum, fabrorum, medicorum, aliiſque cœtibus qui non ſunt Chriſtianorum, ut eorum factâ applicatione ad conſiſtoriâ & ſynodos, tantò clarius appareat, tum diſcrepantia quæ intercedit inter poteſtatem primi ordinis & poteſtatem ſecundi, licet hæc & illa ſemper conjunctim exerceantur in omnibus conventibus Eccleſiaſticis, tum abſurditas poteſtatis mediæ & Eccleſiaſticæ quam fingit Voetius.

Sumamus exemplum à Medicis ut Pariſienſibus, Monſpeſſulanis, aut Londinenſibus in collegium, facultatem, aut cœtum congregatis; in quo quidem cœtu actus illius poteſtatis quam poſui in primo ordine, quamque dixi eſſe functionis, in eo ſe exerunt, ut unuſquiſque proferat animi ſui ſenſa ſuper materia, aut quæſtione propoſita forſan de loco Hippocratis enodando, de hoc aut illo morbo depellendo, de ſanitate Regis tuenda, de viribus puta aceti, camphoræ, & opii, an ſint calida, aut frigida, atque hi actus poteſtatis pertinent ad medicos quâ medicos: at actus poteſtatis ſecundi ordinis non pertinent ad medicos qua tales, nec magis quam cum medicus ædificat domum, quod non facit quâ medicus, ut cum variant ſententiæ, fit diſceſſio in collegio, ſcinduntur collegæ in partes (nedicam factiones) forſan ſuper hac materia utrum Galenica methodus an verò Spagirica obtinere debeat in Republica, & utra debeat ire in vulgus, planè non eſt cenſendum hanc aut alteram methodum pro rata lege haberi à vi poteſtatis primi ordinis, ſed ſecundi, aut medicorum certum aut potiorem numerum ſuffragiis viciſſe, (vel pro Galeno vel pro Paracelſo) quatenus ſunt Medici, ſed quatenus ſunt libera capita, & poteſtate ſecundi ordinis prædita, per quam inſuper plura agunt medici, eligunt Decanum, Prœſidem, Cenſores, largiuntur licentiam faciendi medicinam, & candidatos promo-

 vent

vent ad gradum Doctoris, omnia ordine faciunt; quanquam hic poſſunt aliqui intervenire actus quos alternis judiciis ambigigas, appelles ne actus functionis, ſeu poteſtatis primi ordinis, an verò ſecundi; ut ſunt actus examinandi petentem licentiam: & de hominis meritis & de doctrina teſtimonium redditum, quos actus puto pertinere ad poteſtatem primi ordinis, ſi teſtimonium congruat cum meritis, alioquin, ſi non congruat, tum diploma, ſeu authoritas data ad faciendum medicinam, actus erit poteſtatis ſecundi ordinis, eritque de natura legis, quæ eſt actus poteſtatis judiciariæ, non functionis.

Cum autem in cœtu privato eluceat duplex illa poteſtas, tum maxime ſe prodit in conventu publico ordinum Reipub. In quo ne excurram extra exemplum Medici, ſupponamus eum allegatum à ſuis concivibus ad comitia. Sanè quanquam non ſedeat in publico conſeſſu tanquam Medicus, ſed ſenator, poteſt tamen fieri, ut in eo etiam exerat poteſtatem medici, quæ eſt primi ordinis & functionis, & tanquam peritus in ſua arte, ubi agitur de legibus figendis Chirurgis & Pharmacopolis, ſermones habeat accommodatos ad pervincendos reliquos Senatores & perducendos in eam ſententiam quam maxime probat: at ſive par, ſive impar ſit, pertrahendo illos quo vult, certum eſt quando vim & robur imprimit legi medicæ à qua forſan ipſe abivit, id non agere vi poteſtatis primi ordinis, ſed ſecundi, nec quatenus medicus, ſed Senator, licet materia legis ſit medica; nam tum forma Legis eſt Politica. Ubi obiter obſervandum, tam abſurdè & inficetè Legem vocari Eccleſiaſticam, quam Medicam, ſiquidem neutra, nec una in Synodo, nec altera in cœtu medicorum vim & robur acquirat à functione, ſeu Eccleſiaſtica, ſeu Medica, ſed à poteſtate ſecundi ordinis quæ eſt poteſtas Magiſtratûs, quæ ſola in quovis cœtu, Civili, Politico, Eccleſiaſtico, Medico, vim & robur legis imprimis cuilibet conſtitutioni, & per quam Paſtor Evangelicus in Synodo præditus eſt poteſtate canones condendi, præcipiendi & jubendi, ſub pœna aut depoſitionis aut excommunicationis.

Profectò ſi texitur hiſtoria omnium cœtuum, ſeu nationalium, ſeu particularium, ſeu Eccleſiaſticorum, Civilium à mundi incunabulis, reperietur duas ſemper in illis conſpicuas fuiſſe poteſtates diſtinctè & ſeparatim ſuos actus exercentes: ubique in illis illuxit duplex Poteſtas. Nunquam Poteſtas ſecularis potuit convocare ex toto Imperio ſuo cœtum hominum qui non eſſent præditi, poſtquam ſemel in unum locum convenerunt, authoritate & juriſdictionis & functionis, hujus quidem quatenus ſenſa ſua declarant ſuper quacunque re pro peritiâ ſuâ in ſcientia, arte, jure, & rerum uſu, illius verò, quatenus non poſſunt ex ſententiis (proculdubio) variantibus quicquam certi concludere, quod vim legis habeat, & dici poſſit mens totius cœtûs, niſi adhibitâ poteſtate quæ vim legis dat illi ſententiæ, non quæ vicit Juſtitiâ aut bonitate, ſed numero. Par ratio cœtuum particularium, etiam trium virorum, ubi licet unius ſententia forſan ſit potior & ſanior, non habetur tamen pro rata ſententia collegii trium virorum, ſi alii duo in diverſam, quanquam pejorem, diſceſſerint.

Sane illuxit ſemper hæc poteſtas in cœtibus Judæorum, in Synedriis & Synagogis, in quibus præter actus functionis Sacræ, lectionem & expoſitionem legis, exercebantur actus poteſtatis cogentis, delinquentes mulctabantur pœnis corporalibus, fiebant ἀποσυνάγωγοι prout major numerus vincebat pro aut contra cenſurâ notatum. Illuxit & in Synodis & cœtibus Chriſtianorum, puta in Synodo Conſtantinopolitana I. in qua Epiſcoporum ſententia prævaluit pro condemnatione Macedonii, non quia orthodoxi eſſent, ſed quia numerus centum & quinquaginta orthodoxorum Epiſcoporum major erat numero triginta ſex, nam non plures in ea Synodo erant Epiſcopi Macedonii: ſi hi ſuperiores numero fuiſſent, Epiſcoporum orthodoxorum parvus numerus non minus per poteſtatem ſuam in verbo damnaviſſet Macedonium, licet, non per poteſtatem quæ dat vim & robur Synodalibus concluſionibus.

Hic

Digitized by Google

Hic dicat VOETIUS, per quam poteſtatem damnatus fuit Macedonius in Synodo Conſtantinopolitana? qua Neſtorius in Synodo Epheſina? quâ poteſtate ſententia Eutychis obtinuit in Synodo Epheſina II.? quâ imaginum cultus in Synodo Nicæna II. Forſan dicet, illas Synodos condidiſſe canones per poteſtatem Eccleſiaſticam ubi victrix fuit veritas, ſed tum non veritas vicit ſed numerus; ut poteſt fieri, ut impar numerus ut in Synodo Epheſ. II. & Nicæna II. pronunciaverit pro veritate; major verò numerus pro mendacio: an utrobique, ſive major, ſive minor numerus orthodoxorum, fuit in Synodo, Epiſcopi pronunciaverunt per poteſtatem Eccleſiaſticam? nam in Synodo Epheſina II. & Nicæna II. ſederunt orthodoxi Epiſcopi (licet minori numero quam heterodoxi) qui pro veritate pronunciaverunt, adeoque etiam per poteſtatem non ſecundi ordinis, ſed per primam, non VOETIANAM, quæ non potuit dare vim legis, ſed per poteſtatem in verbo. Concludendum ergo, robur & vim canonum non accedere à poteſtate VOETIANA Eccleſiaſtica, ſed à majori numero: ſed nec poteſtatem Eccleſiaſticam VOETIANAM à veritate vim ſumere, cum promiſcuè & pro veritate, & pro mendacio Judicia proferat, niſi ſtatuat VOETIUS, omnia poteſtatis Eccleſiaſticæ Judicia eſſe infallibilia, ſed de hac re poſterius.

SECTIO III.

SECTIO III.

Confirmatio eorum quæ ſuperiori ſectione dicta ſunt. De loco Iſidori, qui fuſius exponitur: quod duæ poteſtates diſtinctiſſimè ſunt conſpicuæ in omnibus Synodis, conſiſtoriis & cœtibus Eccleſiaſticis, una functionis, altera Juriſdictionis, una quæ eſt poteſtas verbi, altera Magiſtratûs, una quæ producit actus ut plurimum internos, altera duntaxat externos: una per quam Miniſtri ſunt Paſtores, Epiſcopi, Rectores Eccleſiarum, clavibus aperiunt & claudunt regnum Cœlorum, tum ligant & ſolvunt peccatores: altera quæ pariter cum Magiſtratu & Senioribus exercetur. Verborum Conſtantini. Ego ſum Epiſcopus Eccleſiæ in rebus quæ ſunt ad extra *verus ſenſus exhibetur.*

SOlus conſpectus argumenti quod lemma eſt hujus ſectionis poſſet me liberare ulteriori ejus exegeſi apud viros aut cordatos, aut rationis compotes, adeo eſt veritatis obviæ & expoſitæ: verum quia per ejus accuratam explicationem tota controverſia de poteſtate Eccleſiaſtica deciditur, & VOETIANA poteſtas diſſipatur in auras, lubet ejus veritatem explicatius proponere hacce ſectione: in qua, quicquid dixero, commentatio erit in illuſtriſſimum locum & uncialibus literis ſcribendum Iſidori, an Concilii 6. Pariſienſis, quique inſertus *Cauſa* eſt Decreto Juris Canonici: quo loco non puto quicquam un- *23.qu.5.* quam efficacius & potentius extare in tota Bibliotheca aut Va- *C. 20.* ticana, aut Bodleiana, ſeu Oxonienſi, ad muros poteſtatis, tum Papalis, tum VOETIANÆ verberandos, quaſſandos, diruendos: verba ſunt. *Principes ſeculi non nunquam intra Eccleſiam Poteſtatis adeptæ culmina tenent ut per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non poteſt prævalere*

 Sacerdos

Digitized by Google

Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cæleſte regnum profuit. Ut qui intra Eccleſiam poſiti contra fidem & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigori Principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperperborum Poteſtas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem poteſtatis impertiat. Cognoſcant Principes ſeculi Deo ſe debere rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt: nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.

Hic locus apotheca eſt & armamentarium inſtructiſſimum armis cujuſcunque generis, debellandis præſidiis munimentisque omnibus VOETIANIS, quibus ſuam poteſtatem VOETIUS ſupportat efficaciſſimum. Aqua eſt abluendo & eluendo tectorio *Eccleſiaſticæ* & *Spiritualis* quibus ille ſuam poteſtatem incruſtat. Non pigebit eum locum exenterare per partes & omnes autopſiæ exponere.

1. Docetur intra Eccleſiam duas poteſtates haberi.

2. Unam eſſe doctrinæ, alteram Juriſdictionis.

3. Unam functionis Sacræ, alteram functionis civilis & politicæ.

4. Unam eſſe regnum cœleſte, alteram eſſe regnum terrenum.

5. Unam quæ eſt Paſtoris & verbi, licet erga morigeros tantis ſit viribus, ut ei reſiſti nequeat, attamen erga immorigeros & rebelles, imbellem eſſe ad externum hominem cogendum ad obſequium, nec prævalere poſſe, niſi ad ſubſidium vocetur poteſtas externa cogens, quæ eſt Magiſtratûs & alterius munimentum.

6. Unam quæ potiſſimum perſuadendo, ſed monendo, minandoque ac denunciando Judicia Divina pœnaſque æternas: alteram quæ potiſſimum impletur terrendo, minando, infligendo, & applicando pœnas & cenſuras quæ in hac vita ſubire debent.

7. Unam

7. Unam quæ ſermone exerit ſe & ore tenus, alteram quæ diſciplinâ exercetur.

8. Docetur utramque illam poteſtatem ſic intra Eccleſiam eſſe, ut non opus ſit magnopere (licet quandoque id fiat) excurrere extra Eccleſiam, ut aut doctrinæ poteſtas, aut potentia ſit efficacior, aut diſciplina Magiſtratûs magis terreat. Expreſsè enim locus Iſidori dicit ideo poteſtatem (nempe humanam quæ eſt Magiſtratus) eſſe intra Eccleſiam ut per diſciplinam ſuam terreat immorigeros, rebelles & contumaces.

9. Docet & dari intra Eccleſiam & obſequium fidei, hoc eſt paſtori, & obſequium Magiſtratui.

10. Diſciplinam Eccleſiaſticam eſſe Juris humani, inſtitutioniſque perinde humanæ.

11. Ejus authorem, cuſtodem & vindicem eſſe Magiſtratum, ſeu illam poteſtatem ſecundi ordinis quæ eſt intra Eccleſiam.

12. Item eam diſciplinam applicari à Magiſtratu, imponique peccatorum cervicibus ab eo, ut reducantur (externo ſaltem obſequio) in normam & viam fidei & caſtigatiorum morum.

13. Poteſtatem quæ exercetur per Magiſtratum ſeu diſciplinæ terrorem, ſic commiſſam eſſe Magiſtratui ſeu poteſtati intra Eccleſiam, ut ejus Deo rationem reddere debeat.

14. Propter diſciplinam laxam & ſolutam, tantum in culpa eſſe Magiſtratum ſeu vindices poteſtatis Magiſtratûs in omni cœtu Eccleſiæ, ſeu Synodo, ſeu conſiſtorio reſidentis, quantum rigida & exacta diſciplinæ obſervantia aſcribi debet prudenti authoritati ejuſdem Magiſtratûs.

15. Arma prioris poteſtatis eſſe Spiritualia, & cœleſtia, poſterioris eſſe terrena.

16. Poteſtatem ſecundi generis quæ eſt intra Eccleſiam ejuſdem eſſe generis & naturæ cum poteſtate Magiſtratûs quæ eſt extra Eccleſiam, imò eandem eſſe; in eo tantum differre quod quæ intra Eccleſiam eſt poteſtas, ſubjiciatur per ſubordina-

 tionem

Digitized by Google

tionem poteſtati quæ eſt extra Eccleſiam. Inde eſt quod Patres 6. Concilii Pariſienſis, qui referunt hunc locum inſignem Iſidori, tum in ſua acta & canones tranſtulerunt, eam poteſtatem quam habent intra Eccleſiam, ſubjiciant Regi, ut corrigeret ſi quid in ea culpandum eſſet.

Non video quâ ratione, aut quâ fronte poterit VOETIUS tantæ luci caliginem offundere, cum omnia hæc, conſectaria ſint ſermonis Iſidori: forſan dicet Iſidorum per Eccleſiam intellexiſſe nationalem, ſed hæc evaſio ne hilum juvat! nam cum Eccleſia nationalis capiat ſub ſe omnes Eccleſias particulares, non poteſt à Principe toti Eccleſiæ nationali imperari diſciplina quam arripere non teneatur unaquæque Eccleſia particularis: eo modo quo non poſſunt omni homini figi leges quibus ex officio non obtemperet Titius aut Mævius: quidquod ut Rex non poteſt præſidere ſummæ curiæ quin etiam per vicarios & delegatos præſideat curiis ſubalternis; ſic Rex non poteſt eſſe intra Eccleſiam nationalem, quin etiam ſit intra Eccleſiam particularem. Sane Conſtantinus magnus tam credidit ſe eſſe intra Synodum paucorum hominum ut fuit Synodus Nicæna I. quorum Patribus dedit poteſtatem canones condendi qui vim legum Eccleſiaſticarum haberent, quam credidit ſe eſſe intra Eccleſiam totius Imperii Romani: quo circa in ea ſum planè ſententia à VOETIO & aliis perperam exponi verba Conſtantini.

Euſeb. in vita Conſt. l. 4. c. 24. ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην.

Vos quidem eorum quæ intra Eccleſiam ſunt: ego autem eorum quæ extra eam ſunt à Deo ſum conſtitutus Epiſcopus, eoſque ſenſum his verbis dediſſe quo, nec ille, nec Euſebius unquam intellexerunt: nam ſi Iſidoro fides eſt, Conſtantinus tam fuit intra Eccleſiam privatam, quam intra Synodum Nicænam I. & tam intra Nicænam quam intra Eccleſiam totius Imperii, neque hoc inficiabitur VOETIUS niſi falſi arguat Iſidorum, & turbam ingentem Synodorum & clarorum virorum quibus tantopere placuit hic locus, ut in ſua acta & ſcripta tranſtulerint: ac non potuit ſimul eodem tempore & eodem ſenſu eſſe, & extra, & intra Eccleſiam.

Quaprop-

Digitized by Google

Quapropter neceſſe eſt ut Conſtantinus & Euſebius intellexerint per Eccleſiam propriè dictam Eccleſiam, (& ſecundum intellectum Sacræ Scripturæ) qualem clariſſimus Rivetus definit. *Cœtus populi Dei Spontanei qui ſe totum ad obſequium fidei tradit per Spiritum Sanctum regenerati.* Intellexerunt Eccleſiam in qua, ut idem Rivetus ait, nullum habet locum coactio, ſed directio & perſuaſio, Eccleſiam coactam verbo, non gladio, nec Imperio humano. Eccleſiam, cujus nec Magiſtratus, nec ipſi Eccleſiæ ſeniores ſunt Paſtores, Rectores, Epiſcopi, gubernatores, cum hi tituli, hæc elogia officiaque ſub illis intellecta pertineant ad ſolos verbi Divini œconomos & diſpenſatores; quorum eſt Eccleſiam paſcere, quorum oves tam ſunt Principes & Magiſtratus, quam minimus de turba fidelium & Chriſtianorum. Denique intellexerunt Eccleſiam in quam Conſtantinus nullum habuit Imperium, & cujus dictis & præceptis cura fuit ſe præſtare obtemperantem & audientem.

In Pſal. 110.

Hoc ſenſu cum ipſe Conſtantinus non fuerit major intra Eccleſiam minimo de turba fidelium, non intellexit Iſidorus Conſtantinum & ſeculares poteſtates ſic eſſe intra Eccleſiam, ut Principes intra Rempublicam, cui Imperet, eamque ſuis legibus regat & moderetur. Sed intellexit aut Conſtantinum, aut aliam quamvis poteſtatem ſecularem eſſe intra Eccleſiam latè ſumptam, quatenus eſt pars Reipublicæ, & cui juxta ac Reipublicæ imperet, cum hæc illam includat, & in qua, ut dixi, conſpicuæ ſunt duæ poteſtates, una functionis, altera juriſdictionis. At Conſtantinus & Euſebius voce Eccleſiæ intellexerunt non Eccleſiam ſic latè ſumptam, ſed illam in qua Sola poteſtas primi ordinis viget, & cujus Paſtores ſunt Epiſcopi, & ideo Conſtantinus dum ſibi tribuit Epiſcopatum poſterioris poteſtatis, rectè à ſe abjudicat Epiſcopatum prioris poteſtatis, ut jam verborum Conſtantini hic ſit ſenſus.

Vos pro ſacro munere & officio vobis concredito poteſtateque internâ per prædicationem verbi & adminiſtrationem ſacramen-

cramentorum miniſterio veſtro affixâ per quam homines transferuntur à poteſtate Satanæ ad Deum & à tenebris ad lucem, eſtis Paſtores, inſpectores, & Epiſcopi à Deo conſtituti, At abſit ut falcem meam in meſſem veſtram injiciam, implendo partes functionis ſacræ, aut concionando in Eccleſia, aut adminiſtrando ſacramenta; in ſumma faciendo in templo illos actus qui ſunt poteſtatis internæ & miniſterii Evangelici: at cum extra templum & exercitium functionis ſacræ multa ſint peragenda in Synodis & Sacris conventibus, Leges Eccleſiaſticæ ſint condendæ, diſciplina Eccleſiaſtica imperanda; hæreticis os obſtruendum, contumaces & factioſi in arctum compellendi, cenſuræ ferendæ & applicandæ: Synodi convocandæ, Epiſcopi eligendi, ubique orthodoxa religio propaganda, ethnici ad eam invitandi præmiis, priusquam eorum cor Deus aperiat per miniſterium verbi. Ego horum omnium actuum Epiſcopum & Rectorem à Deo conſtitutum me reputo & exiſtimo.

Hanc veram eſſe paraphraſim verborum Conſtantini in Euſebio nullus dubito, nec dubitavit Clariſſimus Rivetus, ubi affirmavit Conſtantinum per Eccleſiam intellexiſſe templum ſeu cultum Evangelicum, quemadmodum per templum Salomonis maximam partem intelligitur cultus Leviticus: Eſto ergo hic ſenſus, *quemadmodum à Deo eſtis conſtituti Epiſcopi & Paſtores Evangelici, qui in templo & intra templum paſcatis populum Chriſtianum*: *Ego à Deo ſum conſtitutus Epiſcopus extra templum ad ordinandas eas res in religione quæ non pertinent ad functionem ſacram.*

Atque hæc naturalis expoſitio verborum Conſtantini, illuſtrat & confirmat præſentiam utriusque poteſtatis in omni cœtu Eccleſiaſtico, Synodo, & conſiſtorio, in quo quidem quoad exercitium & productionem actuum prioris poteſtatis, Paſtor Evangelicus eſt Epiſcopus à Deo conſtitutus: at in attrectatione & executione poſterioris poteſtatis, vel Magiſtratus ipſe,

vel

vel poteſtas poteſtati Magiſtratûs analoga implet partes Epiſcopi ad extra, qualem ſe profeſſus eſt Conſtantinus, cujus pronunciatum probè concordat cum Iſidori Sermone, niſi quod hic per Eccleſiam intellexerit cœtum conſtantem viris utraque poteſtate præditis, internâ & externâ, habitâ & præſtitâ in templo & extra templum. At Conſtantinus per Eccleſiam intellexerit templum, in quo poteſtas prioris ordinis ſe potiſſimum exerit.

Sanè ut intellectus vocabuli Eccleſiæ Secundum Conſtantinum pro templo aut populo in templo congregato ad cultum Divinum celebrandum frequens eſt in Novo Teſtamento, ita intellectus vocis quam ei dat Iſidorus paſſim obvius eſt in toto inſtrumento, & veteri & novo, quemadmodum in veteri ſolo vocabulum Eccleſiæ ſæpe ſumitur, nec eo ſenſu quo Conſtantinus, nec eo quo Iſidorus vocem uſurpavit, ſed pro cœtu & conventu Magiſtratuum & ductorum populi ut jam non mirum ſit ſi Iſidorus uſurpaverit vocem Eccleſiæ eo ſenſu quo comprehendit conventum populi, in quo utraque ſe exerit poteſtas & Paſtorum in verbo, & Magiſtratûs in ordinandis rebus Eccleſiæ: nam & Synagoga Judæorum ejuſmodi erat conventus in quo Magiſtratus jus dicebat, & Sacerdotes, Levitæ, & prophetæ peragebant quæ erant cultûs Divini: quod quidem exemplum Synagogæ inſigne & illuſtre eſt ad confirmandam veritatem quam in hac ſectione & ubique tuemur, nempe utramque poteſtatem, unam functionis, alteram Juriſdictionis, quæ eſt Magiſtratûs, conſpicuam eſſe in omni cœtu Eccleſiaſtico, Eccleſia, Synodo, conſiſtorio: ſed redeo in viam.

Dum hæc ſcribo ad aperturam libri Clariſſimi viri Johannis p. 519.
Dallæi de Imaginibus, reperio confirmationem intellectûs vo- 520.
cabuli Eccleſiæ in Iſidoro, nempe iſtius Eccleſiæ in qua duæ poteſtates conſpiciuntur & exercentur, una quidem per quam Paſtores Spiritualiter ac Spiritualibus rationibus & mediis regunt Eccleſiam, altera per quam eandem Eccleſiam regunt

poteſtates

poteſtates ſeculares civiliter & civilibus rationibus & mediis, cui regimini præſunt tanquam Epiſcopi ad extra ut de ſe Conſtantinus loquebatur. Cum ergo Bellarminus non ferret Principes ſeculares dici *Eccleſiam gubernare & regere* Dallæus hæcce reponit.

„ Nihil eſt cauſæ cur Græcis, aliiſque orientis populis Mi-
„ chaëlis Imperio ſubjectis Eccleſiæ nomen invideat Bellarmi-
„ nus quos Chriſtianos fuiſſe & quidem baptizatos negare non
„ poteſt, Talibusne Synagogæ potius nomen tribuendum
„ fuiſſe putat quam Eccleſiæ ? neque item video quid hoc
„ Epiſcoporum authoritati munerique detrahat: nam ſi quis
„ Davidem dixerit populum Dei rexiſſe & gubernaſſe, non is
„ opinor Pontificis maximi, aliorumque apud Hebræos Sacer-
„ dotum munia & dignitates ea oratione vel extinxerit, vel im-
„ minuerit, unum eundem populum, unam eandemque Do-
„ mini Eccleſiam, ſed aliter atque aliter regunt, tum princi-
„ pes, tum Epiſcopi, hi ut ſic dicam ſpiritualiter rationibus ac
„ mediis ſpiritualibus, illi civiliter, civilibus mediis ac ratio-
„ nibus, Utcunque ſit, non eſt hæc durior oratio quam quâ
„ alibi uſus eſt Amalarius, ita Ludovicum Imperatorem allo-
„ quens. Cum ſciamus inquit vos Rectores eſſe totius Chriſtia-
„ næ religionis quantum ad homines pertinet, ſic etiam Sy-
„ nodus Pariſienſis ſexta ait Chriſtum Eccleſiam quam ſuo ſan-
„ guine redemit, ſuis orthodoxis famulis Ludovico & Lothario
„ glorioſis Auguſtis regendam, tuendamque committere occul-
„ tâ ſuâ diſpenſatione voluiſſe.

præf. in lib. 1. *offic. Eccl. T.* 10. *Bib. Patrum Syn. Par. anno* 829. *habita præf. T.* 6. *concil. p.* 321. *edit. Pariſ.* 1636.

Quis non videat Dallæum nobiſcum agoſcere in quaque Eccleſia exercitium duplicis poteſtatis, unius quidem quæ eſt functionis, quâ Sacerdotes, Epiſcopi & miniſtri defunguntur, alterius verò cujus Principes & Magiſtratus ſunt cuſtodes, vindices, & per quam, ſeu Epiſcopi ad extra, ut de ſe dicebat Conſtantinus, regunt Eccleſiam.

Longum eſſet ire per ſingula in Iſiodori Sermone, ut edoceam

ceam utramque poteſtatem, unam functionis, alteram Juriſdictionis, ſeu cogentis poteſtatis conſpicuam eſſe tum in omni Synodo & conſiſtorio, tum extra eos cœtus; ubique ad religionem promovendam opus fuiſſe pro munimento prioris poteſtatis in verbo, ut accederet poſterior poteſtas, quæ eſt Magiſtratûs, in ſubſidium: nam licet prior per ſe ſit ſatis valida & efficax ad fidem creandam in corde, & perducendum homines ad ſalutem, ſiquidem populus Dei ſit populus Spontaneus, qui fidiculis non trahitur, ſed ſuadetur, attamen non eſt ſine acceſſione poſterioris poteſtatis cogentis valida & efficax ad alios terrendos, & cogendos ad praxim vitæ in ſpeciem probæ & offenſione vacuæ, ut jam opus fuerit poteſtate Magiſtratûs, & terrore diſciplinæ ad continendos eos in officio inoffenſo.

Porro neceſſariam fuiſſe in omni cœtu Eccleſiaſtico & Synodo non poteſtatem VOETIANAM, ſed Magiſtratûs, tanquam alterius poteſtatis ancillam, eique opem ferentem multa evincunt. 1. ut prudentia humana non deſtruit gratiam, ſic nec gratia prudentiam humanam. 2. Cum paſtores & fideles juxta ac terræ filii iiſdem laborent paſſionibus errentque in ſuis judiciis, nec plerumque externa ſpecie dignoſcantur ab aliis, non poſſunt hi & illi ſe aggregare in unum cœtum ad ampliandum regnum Chriſti, ſervandam fidem illibatam, arcendum à corpore ſuo hæreticos, niſi adhibitis iiſdem mediis & rationibus, eodemque ordine, quibus homines probi & prudentes ſeu fideles, ſeu infideles utuntur, ut ordinem afferant negotiis omnibus mundi. Sanè cum in pluribus locis magna pars eorum qui ſe ad cœtus Chriſtianorum aggregant ſint nati non facti Chriſtiani, & nomine tantum tenus ſint fideles, adeoque non minus humanis quam Divinis rationibus ducantur ad perſtandum in communione Chriſtianorum, nec poſſint formari cœtus ex ſolis fidelibus, planè expedit iiſdem modis, mediis & rationibus, à prudentia humana petitis hos & illos juxta in diſciplinam eandem cogere, eamque non ſemper meliorem, ſed quæ

 aut

aut pluribus, aut ſummæ poteſtati placuerit, ut uſurpatur in omnibus hominum cœtibus, coactis ad tractanda negotia quæ pertinent ad hanc vitam, in quibus ſententiæ non ponderantur, ſed numerantur, fortior non melior poteſtas vim canonum & legum Eccleſiaſticarum imprimat definitionibus Paſtorum, & arceat à ſuo commercio & corpore non indigniorem ſed imbelliorem, quanquam non negaverim ſæpe accidere ut lex lata à fortiori ſit optima, & qui eſt imbellior & viribus impar reſiſtendo, ſit etiam indignior. Sane, ut ait Martialis, Reges & potentes habere debet qui ſe non habet, ſi omnes in cœtu Chriſtianorum eſſent aut fierent fideles per vim prioris poteſtatis, non opus eſſet poteſtatem Magiſtratûs opitulatricem advocare ad ſubſidium prioris, ſed prior poteſtas ſæpe à multitudine confuſa opprimatur, debet ea multitudo à Magiſtratu regi, vel à poteſtate ei analoga.

Cumque, fatente Voetio, poteſtas Magiſtratus debeat vocari ad opem Juriſdictionis perperam dictæ Eccleſiaſticæ, utpote inquit, per ſe imbellis, quemadmodum hanc vult ſæpe accedere ad auxilium poteſtatis in verbo, quid opus fuit multiplicare entia ſine neceſſitate & in auxilium poteſtatis in verbo vocare Eccleſiaſticam, cum eâ omiſsâ ſola ſufficiat poteſtas Magiſtratûs, neque enim Iſidorus ad opem poteſtatis quæ ſe exerit per ſermonem doctrinæ aliam præter poteſtatem Magiſtratûs accerſit in ſubſidium, ut altera ſit efficax, neque interponit fictitiam poteſtatem dictam Eccleſiaſticam, ſed adjicit diſciplinæ terrorem, actum Magiſtratûs: vana ergo eſt, & ſine neceſſitate accerſita poteſtas illa Voetiana media, quæ nec pertinet ad claſſem poteſtatis in verbo, nec vult eſſe Magiſtratûs poteſtatem.

In eo ſane prodit ſe futilitas & inutilitas poteſtatis Voetianæ, ſeu Eccleſiaſticæ, quod non ſit poteſtas illa verbi per quam homines convertuntur ad Deum, neque etiam ſupplere poſſit eam Magiſtratûs poteſtatem neceſſariam ad bonum Eccleſiæ, eam

Digitized by Google

eam nempe quæ cogit homines ad obſequium externum & per quam Synodi indicuntur, canonibus Synodalibus juxta ac decalogo vis legum civilium imprimitur, peſtilentes hæretici ſuo contagio inficientes orthodoxos in exilium pelluntur, omnia vitiorum inſtrumenta & theatrales ludi auferuntur, collegia & Academiæ conſtituuntur, reditus Paſtoribus & Profeſſoribus attribuuntur: ut jam in nullum uſum videatur comparata poteſtas illa Eccleſiaſtica, quam VOETIUS fatetur eſſe, nec poteſtatem verbi, nec poteſtatem Magiſtratûs, imò impropriè dici juriſdictionem. Sanè ſi ſine poteſtate Eccleſiaſtica manca eſt poteſtas illa Divina & cœleſtis, quâ ſolâ tamen Chriſtus & Apoſtoli uſi ſunt, quâ etiam hodie utuntur miniſtri ad transferendum homines à poteſtate ſatanæ ad Deum, & à tenebris ad lucem; id quoque affirmandum erit, inutilem omnino illam eſſe poteſtatem Eccleſiaſticam, abſque poteſtate Magiſtratûs. Recte ait Antonius de Dominis. *Sine laica poteſtate nihil obtinebimus: nos Epiſcopi & miniſtri potius declaramus eſſe excludendum quam actu corporali excludimus, quod ſi adhuc ille ſe intrudat & concurrat ad preces communes in Eccleſiam, nunquid noſtra poteſtate Eccleſiaſtica poſſumus illum virum extrudere, abripere, expellere.* Lib. 4. de reb. Eccl. cap. 2.

In eam ſententiam concedunt Petrus Martyr, Bullingerus, Muſculus, Gualterus & Pareus, crediderantque illam poteſtatem Eccleſiaſticam habitam in Eccleſia, confluere cum poteſtate Magiſtratûs in unam poteſtatem, ſane Petrus Martyr cujus authoritas mihi potior eſt mille vindicibus poteſtatis VOETIANÆ, affirmat illam in nullum uſum comparatam eſſe, cum ad omnia ad quæ adhibetur illa fictitia poteſtas, inſerviat Magiſtratûs poteſtas. *Quod ad Eccleſiaſticam poteſtatem attinet, ſatis eſt civilis Magiſtratus*, adeoque paſſim vult Eccleſiaſticam poteſtatem Magiſtratui ſubjici, non Spirituali ſubjectione, ſed politica. Loc. com. claſſ. 4. loc. 3. §. 5. & 6.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Vrgetur ulterius vis verborum Iſidori, quorum maxima eſt concordia cum conſiderationibus ſupra allatis: quod Elogia Epiſcopi, Paſtorum, Ductorum, Rectorum, &c. non militent pro poteſtate perperam dicta Eccleſiaſtica: quod hæc poteſtas quam Iſidorus ait eſſe cœleſtem & poteſtatem regni Chriſti, tam diſcrepet à Poteſtate Voetiana, quam à poteſtate Magiſtratûs, ſi quidem & Voetiana, & poteſtas Magiſtratûs in unam eandemque poteſtatem confluant, ſintque vera & propriè dicta Juriſdictiones & cogentes, cum poteſtas Paſtoris ſit merè authoritas perſuaſionis: de ratione quâ Magiſtratus eſt in Eccleſia: an ſit de eſſentia Eccleſiæ?

VIdeo me magno labore exoneratum in aſſerenda ſingulatim veritate tum omnium mearum conſiderationum, tum conſectariorum quæ ex ſermone Iſidori deduci poſſunt, cum hæc & illæ eadem loquantur, & ſibi mutuas operas præſtent, ad debellandam poteſtatem VOETIANAM. Cæterum cum Iſidorus opponat poteſtatem Sacerdotis in Sermone doctrinæ, poteſtati Magiſtratûs quæ ſe exerit per diſciplinæ terrorem, planè conficitur eum non niſi duas agnoviſſe intra Eccleſiam poteſtates, nec medium aut tertium locum reliquiſſe poteſtati Eccleſiaſticæ.

Ante omnia admiratio me ſubit quod licet centies ſacra ſcriptura (novum imprimis Teſtamentum) mentionem faciat poteſtatis & potentiæ in verbo ad ſalutem, nunquam tamen uſurpetur pro poteſtate VOETIANÆ ſimili, ſeu poteſtate Judiciaria in foro externo convocandi Synodos, rata habendi eorum decreta, ea imperandi, obligandi ad eorum obſequium ſub pœna aut excommunicationis, aut exauctorationis, de capitibus fidei ſic Judicandi, ut teneantur fideles eorum judicio ſuum ſubjiciendi:

Digitized by Google

ciendi : ſed ſemper pro poteſtate interna per quam homines ad auditionem verbi mancipantur obſequio crucis & fidei & à poteſtate Satanæ ad Deum, à tenebris ad lucem transferuntur, & ſolvuntur vinculis iniquitatis; ut ſi in eis habitet, attamen non regnet peccatum. Non aliam ſacra ſcriptura attribuit poteſtatem Paſtoribus præter illam cujus definitionem nobis dat Triglandius præf: ad diſcuſſionem diſſertationis Vedelianæ.
„ Poteſtas Eccleſiaſtica poteſtas eſt Spiritualis, ſita in adminiſtra-
„ tione clavium regni cælorum, feriens ipſum animum &
„ afficiens intrinſece conſcientias hominum, quâ Deus ut
„ inſtrumento & medio utitur ad eorum converſionem & *cap.* 13.
ſalutem. Alibi ſic deſcribit poteſtatem Paſtorum quæ ſe in
„ regno Chriſti mediatoris exerit. In regno Chriſti mediatorio
„ ſeu in regno gratiæ quod eſt Eccleſia, inquo Deus ele-
„ ctos ſuos & fideles à poteſtate illa tenebrarum &
„ univerſali defectione erutos ſibi morigeros verbo & ſpiritu
„ ſuo efficit Chriſtus ordinavit paſtores & inſpectores Eccleſiæ
„ ſuæ, quorum operâ hoc regnum erigit, promovet, & gubernat
„ ſpirituali ratione. Nullo illuſtriori charactere potuit exſcribi regnum Chriſti, poteſtaſque illa quam dicimus eſſe primi ordinis, ſed hæ deſcriptiones, tum poteſtatis ſpiritualis, tum regni Chriſti mediatoris non quadrant (quicquid dicat VOETIUS) in poteſtatem perperam dictam Eccleſiaſticam, quæ non ſpirituali ratione & modo ſe exerit, ſed admodum Civilis poteſtatis, in qua numerantur ſententiæ, non ponderantur, & vis canonum ſita eſt non in eorum bonitate, ſed in voluntate decernentium : ſed inferius probabo iſtam Juriſdictionem Eccleſiaſticam ejuſdem eſſe naturæ cum poteſtate Magiſtratûs.

In limine regeret VOETIUS, paſtoribus datam inſuper poteſtatem externam per quam interna ſe exerat: & propter externam, non propter internam miniſtros vocari paſtores, Epiſcopos ἡγεμένες προϊςαμένες, modis, mediis & rationibus externis, moderantes & regentes populum Chriſtianum.

K 3 1. Reſpon-

1. Reſpondeo, perinde validam fuiſſe hanc objectionem ſub œconomia legali, ſub qua tamen Sacerdotes, Levitæ & Prophetæ nunquam gubernarunt Eccleſiam Judaicam juriſdictione ſeparata & diſtinctâ à juriſdictione, quâ Principes populi regebant Remp. cui Juxta ac Eccleſiæ gubernandæ ex æquo admoti erant Sacerdotes, Levitæ, Principes, & Judices populi, cum tamen tunc non minus eſſent Epiſcopi, Rectores, & Præpoſiti admoti clavo & regimini Eccleſiæ, quam paſtores ſub œconomia Evangelica, his & illis juxta media externa & rationes adhibentibus ad regimen fidelis populi, inſtruendi tunc & nunc verbo Divino, ut jam dicendum omnino ſit, elogia & nomina Sacerdotum, Levitarum, Paſtorum, Epiſcoporum, Rectorum, Præpoſitorum, attributa Paſtoribus tum Judaiçis, tum Euangelicis ratione officii, muneris & functionis implendæ, in qua tamen nulla reperiuntur Juriſdictionis veſtigia.

2. Reſpondeo, in regimine demandato Paſtoribus parem eſſe rationem applicationis mediorum externorum ad eos qui reguntur, & qui obtemperare tenentur, quæ fuit Zenonis, Ariſtotelis, & Platonis in gubernandis ſcholis, quorum erant Principes, Rectores, & ἡγεμόνες, qui licet externe & ore inculcarent ſua documenta & monita auditoribus authoritate jubentium & imperantium, ea tamen authoritas erat tantum in volentes & monitis audientes, qui ſe ultro morigeros præceptoribus præſtabant; par eorum authoritas, par Imperium quod eſt Medicorum in ægros, quibus ſæpe illi imperant, quemadmodum amici Alexandri eum rogabant ut ſe morigerum imperiis Medicorum præſtaret: ejuſmodi Imperium eſt in eos, quibus perſuaſerint, eſt Imperium Ciceronis in Tuſculano, ubi imperabat volentibus tantum, cum tamen Romæ imperaret nolentibus. Tale eſt Paſtoris imperium, cui fidelis ulterius non tenetur obſequi, quam quatenus judicat Paſtoris Imperium eſſe Imperium Dei. Cum enim Paſtor nihil debeat imperare niſi quod à Deo accepit, totum Paſtoris imperium ſic interpretari debet, tanquam tradentis non

ſuum,

Digitized by Google

ſuum, ſed quod accepit à Deo, quicquid de ſuo jubet, id totum pro conſilio habendum. Sane ſi Chriſtus & Apoſtoli agerent in terris non aliâ Imperii naturâ præeſſent gregibus Chriſtianorum, alioquin id Imperium merè terrenum eſſet, in quo, qui jubet, non format ad obſequium, ut facit Chriſtus, faciunt & Apoſtoli, ſi non ore, ſaltem ſcriptis, ipſique hodie verbi Dei miniſtri.

Porro quiſquis percurrere voluerit omnes actus functionis Paſtoralis, nullum in ea veſtigium Juriſdictionis repererit, *nulla* inquit Salmaſius *Juriſdictionis pars in eo officio quod miniſterium eſſe tantum conſtat ſpirituale & inſtitutione ſuâ & quod totum in* Ap. p. 136. *curatione animarum verſatur. In diverſis quas obit functionibus, ne una quidem poteſt nominari ad quam procurandam opus ſit Juriſdictione Civili & coactiva, ſi doctrina populus fidelium inſtituendus ſit, nulla adhuc Juriſdictio requiritur; ſi Sacramenta adminiſtranda, multò minus, ſolum quippe miniſterium exigit.* Ligat & ſolvit Paſtor pari authoritate quâ condonat peccata, ut non tam Paſtor liget quam Deus, nec tam remittat peccata, quam Deus. Sic enim Ambroſius *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt Judex: Sacerdos quidem ſuum officium exhibet: at nullius poteſtatis jura exigit.*

In ordinatione nullus eſt actus Juriſdictionis, cum ſit actus functionis, in qua Paſtor benedicit illi quem Deus miſit, & quem Eccleſia particularis elegit in Paſtorem, ſed nec hic actus Eccleſiæ eſt actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſed Societatis jure naturæ & communi: nec hic diverſa eſt Eccleſiæ poteſtas à Poteſtate Magiſtratûs, nam ſi forſan Petrus aut Johannes commendatur in Paſtorem per ſuffragia, res agetur ut in omni alio cœtu, nec depoſitio eſt actus Juriſdictionis, cum merè ſit teſtificatio & declaratio Paſtoris ſuo aut Eccleſiæ nomine facta, ſe nolle uti miniſterio Titii, nec eum pro collega agnoſcere quocunque loco ſit apud alios. Par ratio excommunicationis quæ licet eſſet jure Divino, non magis eſſet actus juriſdictionis, quam actus Medici, recuſantis dare pharmacum ægro. Sed nec Paſtorum decreta in

Synodis

Digitized by Google

Synodis, magis ſunt productiones Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam aphoriſmi & canones Medicinales ſunt effectus Juriſdictionis medicæ, nam nec obligant quenquam niſi quatenus conformia videntur verbo Dei: cum nec ipſa miniſtrorum Eccleſiæ Judicia ſint magis Judicum decreta quam reſponſa medicorum, conſultorum ſuper ægri valetudine, ut loquitur Mareſius.

Coll. theol. loc. 16. 577. Liquet etiam ex Sermore Iſidori, Sacerdotes non ulterius eſſe Paſtores & Epiſcopos, quam quatenus vacant Sermoni, doctrinæ, & producunt actus functionis ſacræ: eos verò actus Juriſdictionis, quos producunt, non magis eſſe actus miniſtrorum, quam ædificatio eſt actus medici, hoc opus eſt poteſtatis Magiſtratûs, diſciplinæ ſuæ rigore terrentis quos doctrinæ ſermo non potuit pervincere.

Ex eodem Sermone liquet, illos quos ſeniores vocamus in Eccleſia, nullas habere partes in exercitio prioris poteſtatis, & tam impropriè vocari viros Eccleſiaſticos, quam Juriſdictio vocatur Eccleſiaſtica. Siquidem ſedeant in Synodo aut Conſiſtorio, non quatenus adminiſtratores primæ poteſtatis, ſed ſecundæ, quæ eſt Magiſtratûs.

Liquet etiam ex Iſidoro, poteſtatem Sacerdotis, tantum diſcrepare à poteſtate VOETIANA, quantum à poteſtate Magiſtratus, ſiquidem VOETIANA & poteſtas Magiſtratus ſint ex æquo Juriſdictiones proprie dictæ, terrenæ, cogentes, poteſtas verò Sacerdotum & miniſtrorum ſit Divina, cœleſtis & regni cœlorum poteſtas.

1. Differunt, quod poteſtas Sacerdotis, Paſtoris, miniſtri, Epiſcopi, quæ eſt functionis authoritas ſit merè perſuaſionis authoritas in alios atque in volentes tantum. VOETIANA & Magiſtratûs ſit coactionis atque innolentes.

2. Quod leges & conſtitutiones poteſtatis cœleſtis quæ eſt paſtoris Evangelici, non ulterius ſint validæ & ratæ, quam quatenus juſtæ & bonæ ſunt, aut ſaltem ita eſſe videntur ab eo cui lex facta eſt: at conſtitutiones tum poteſtatis VOETIANÆ,

tum

tum Magiſtratûs eatenus ſunt validæ, non quia bonæ aut juſtæ, ſed quia ſic voluit poteſtas.

3. In omni Synodo, Conſiſtorio, perinde ac in omni conſeſſu civili non adhærendum ei parti in qua ratio, aut orthodoxa ſententia vicerit, ſed ſecundum quam fuerit numerus major: at in regno Chriſti, in quo Paſtores ſedent, non numerantur ſententiæ, ſed ponderantur.

4. In regno Chriſti vis legis in eo ſtat, quod lata ſit à Deo: at in regno mundi aut Voetii, vis legum & canonum in eo ſtat quod lati fuerint ab hominibus.

5. Atque ideo in regno Chriſti Paſtor non tradit ſua ſed Dei, at contra fit in regno tum Voetiano, tum Magiſtratûs.

6. In regno Chriſti & adminiſtratione poteſtatis cœleſtis, ſe exerentis per doctrinæ ſermonem, Magiſtratus, tum ejus Judicia, tam ſubſunt poteſtati iſti Divinæ, quam minimus de plebe fideli, nec ab eis fit provocatio; at contra in regno terreno & adminiſtratione poteſtatis, tum Voetianæ, tum Magiſtratûs, Judicia (ſi ſubalterna, ut ſunt Paſtorum Judicia in Synodo) ſunt obnoxia reviſioni, & ab eis fieri poteſt provocatio. Verba ſunt Riveti in decalogum, *miniſtri, quatenus miniſtri ſunt, ſunt ſummi Magiſtratûs ſubditi: cur autem à ſubditis & eorum Judicio non liceat provocare ad ſummum Magiſtratum, & cur ſupremo Magiſtratui Judicia ſubditorum recognoſcere non liceat, ſi bona, rata habere; ſi mala, abolere*: minus vir magnus concedit paſtoribus quam velim, nolim enim miniſtros quâ miniſtros, eſſe ſubditos Magiſtratûs, nam quatenus tales ſunt tantum miniſtri & ſubditi Chriſti, nec ab eorum judiciis fit provocatio, ſed quatenus authoritate judiciariâ ſunt præditi vel delegatâ vel aſſumptâ. Cæterum, multum abit Rivetus à Symmyſta Wallæo, qui in *diſp.* 48. Synopſi purioris Theologiæ affirmat a Judiciis paſtorum non *theſ.* 19. debere fieri provocationem ad Magiſtratum, hac in re concordans cum Gilleſpico virgâ Aaronis. *In Eccleſia bene conſtituta* p. 253. *Magiſtratus non debet recipere querimonias & querelas perſonæ*

L *cenſurâ*

cenſurâ notatæ in Curia Eccleſiaſtica V o e t i u s non vult partem læſam provocare ad Magiſtratum, ſed tantum ejus auxilium implorare.

6. Poteſtas Paſtoris Euangelici agit in animum, at poteſtas tum Magiſtratûs, tum V o e t i a n a, agit in corpora.

7. In exercitio cœleſtis poteſtatis quod jubet paſtor id efficit Deus per Spiritum Sanctum: at non ſic in alterutrius poteſtatis exercitio ſeu V o e t i a n æ ſeu Magiſtratûs.

8. In regno Dei in quo ſedent paſtores tanquam legati & vicarii Chriſti, non alii ſunt ſubditi quam pœnitentes & credentes, nec impœnitentes ad eos pertinent: at in regno mundi, tum Eccleſiaſtico V o e t i i; tum terreno Magiſtratûs, pœnitentes & impœnitentes juxta ſunt ſubditi.

9. In regno Chriſti quicquid ligant paſtores in terris id ſemper ligatur aut ligatum eſt in cœlis, at contra ſæpe fit tam in regno Magiſtratûs quam in regno V o e t i a n o.

10. In regno Chriſti in terris, Paſtor Evangelicus digniorem perſonam ſuſtinet quam Magiſtratus: ac contra in regno ſeu Eccleſiaſtico, ſeu terreno, Paſtor Evangelicus nullo (proh dolor!) propemodum loco eſt.

11. Denique ſi fides St. Paulo 2. Ep. ad corinth. cap. 10. tantum diſcrepat vera poteſtas paſtorum à poteſtate V o e t i a n a, quantum cœlum à terra, poteſtas Spiritualis à poteſtate mundana & carnali quantum poteſtas verbi à poteſtate Magiſtratûs. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia ſed Divinitus valida ad ſubverſionem munitionum dum ratiocinationes evertimus, omnemque ſublimitatem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto:* quicquid paſtor exerit poteſtatis extra hanc Divinam poteſtatem pertinet ad poteſtatem carnalem, mundanam, quæ eſt poteſtas Magiſtratûs, diceres hic Stum Paulum totam controverſiam decidere voluiſſe de vera poteſtate, tum Paſtorum, tum Magiſtratûs.

Inſuper

Inſuper colligere eſt ex Iſidoro, Magiſtratum, ſeu intra, ſeu extra Eccleſiam eſſe authorem, cuſtodem, & vindicem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, atque illam diſciplinam, licet ſæpius fiat & applicetur à Paſtoribus per cenſuras, ut ſunt excommunicatio, & exauctoratio, eſſe actum poteſtatis Magiſtratûs intra Eccleſiam, pertineatque ad poteſtatem Secundæ claſſis ſeu Secundi ordinis.

Quod ait Iſidorus, Magiſtratum eſſe intra Eccleſiam, enodat quod toties à vindicibus VOETIANÆ poteſtatis reponitur, nempe Magiſtratum non eſſe de eſſentia Eccleſiæ, item Magiſtratum, quâ Magiſtrâtum, ſeu Magiſtratum formaliter ſumptum non eſſe in Eccleſia, nec ulterius Magiſtratum eſſe in Eccleſia, quam quatenus fidelis; nam ex antea dictis planum eſt, Magiſtratum eſſe in Eccleſia quatenus nulla Eccleſia, nulla Synodus regi poteſt ſine poteſtate Magiſtratus vel aſſumptâ per diſciplinam confœderatam, vel delegatâ à Magiſtratu; tum homonymia eſt in vocabulo Eccleſiæ, nam ſi Eccleſia intelligitur de illis qui ſe poteſtati internæ ſubjiciunt (quam diximus eſſe primi ordinis poteſtatem) tum Magiſtratus, quâ Magiſtratus non eſt in Eccleſia, ſed quâ fidelis, at ſi nomine Eccleſiæ intelligitur totus complexûs cœtûs, in quo utraque poteſtas, & verbi, & Magiſtratus ſe exerit, tum Magiſtratus quâ Magiſtratus eſt in Eccleſia, licet non quâ fidelis. Sed ratio formalis Synagogæ Judaicæ amputat omnes nodos quos hic nectit VOETIUS, namque Magiſtratus quâ Magiſtratus erat pars & caput Synagogæ; licet quâ Magiſtratus non eſſet caput Sacerdotum & Levitarum in Synagoga; nec ad ejus nutum lex exponebatur. Par ratio eſt Eccleſiæ Chriſtianæ: nam in hac & illa juxta elucet duplex illa poteſtas (una functionis, altera Juriſdictionis ſeu Magiſtratûs) quâ tanquam duplici machina bellica muri poteſtatis VOETIANÆ ſeu perperam dictæ Eccleſiaſticæ verberantur & evertuntur.

Atque hæc facem præferunt verbis Iſidori, cum ait terreſtre

regnum ſæpe utile fuiſſe cœleſti : docentque poteſtatem Magiſtratûs intra Eccleſiam non eſſe magiſtram : ſed ancilam, hanc verò propriè dictam eſſe Jurisdictionem, cum ſit de regno terreno : nam non accedo ad eorum ſententiam, qui negant poteſtatem ſecundi ordinis perperam dictam Eccleſiaſticam, eſſe Juriſdictionem propriè dictam; nec ad illorum qui volunt tum primam poteſtatem eſſe proprie dictam Juriſdictionem, tum ſubjici per ſubordinationem Magiſtratui, nam utrobique error eſt, nam non niſi impropriè poteſtas functionis (quæ potius facultas & potentia interna) dicitur Juriſdictio. Et tantum abeſt ut hæc prior poteſtas quæ eſt poteſtas convertens ad fidem per miniſterium verbi, ſubjiciatur poteſtati Magiſtratûs, ut contra hæc ſubjiciatur alteri, ut homo Deo, fidelis Chriſto, nec negari poteſt poſteriorem poteſtatem eſſe juriſdictionem propriè dictam, ſi quidem ſit de natura poteſtatis Magiſtratus adeoque ei per ſubordinationem ſubjici : quemadmodum poteſtas Magiſtratus habita in Synagogis Judaicis ſubjiciebatur per ſubordinationem poteſtati aut Regis aut magni Synedrii : cum autem ſubalterna conveniant in natura communi, non poteſt Juriſdictio ſumma eſſe propriè dicta Juriſdictio, quin hanc naturam participet ſubalternæ, qualis eſt quæ exercetur in Synodo, ut non poteſt poteſtas maritalis ſubjici poteſtati Magiſtratûs, quin hæc & illa ſint ex æquo juriſdictiones propriè dictæ.

Dicta etiam lucem præferunt rationi & modo quo Iſidorus dicit Magiſtratum regere Eccleſiam, eamque ſuſcepiſſe à Chriſto tuendam, eumque teneri hujuſce demandatæ curæ rationem reddere, & pugnant cum placitis vindicum poteſtatis VOETIANÆ, qui ne quidem volunt ut modo dixi, Magiſtratum eſſe in Eccleſia, quâ Magiſtratum ſimpliciter, multo minus quâ
p. 235. Magiſtratum fidelem. Hic enim eſt conſuetus Sermo Wallæi, Triglandii & Gilleſpici, hic in Aaronis virga verba profert uncialibus characteribus poſtibus affigenda, *non eſt officium Magiſtratûs gubernare regnum terrenum in nomine Chriſti, ſed Dei, multò minus*

minus Eccleſiam: finis Magiſtratûs imò Chriſtiani & pii, non eſt re- 187.188.
ſpectu vocationis ſuæ particularis, gloria Jeſu Chriſti. Et ſcopus l. 5.
Magiſtratûs non eſt pietas & honeſtas, ſed ſolummodo pax & quies Reipublicæ.

Eadem ſæpe reponit VOETIUS, impia ſanè & blaſphema in Majeſtatem Regum & potentiam, ut cum vult Judicium Ma- p. 92.
giſtratûs non ſpectare veritatem & pietatem, ſed tranquillitatem Reip. quod ſanè pugnat cum fine ob quem Reges in Iſraële regnabant, item cum Iſidori Sermone, qui ait, Reges à Chriſto ſuſcepiſſe curam Eccleſiæ: an debent tueri Eccleſiam in finem duntaxat politicum? pugnat & cum Auguſtino, qui ſæpe docet nos, nominatim Ep. 5, In hoc ſervire Domino Reges, id eſt regnare, ut cultum Impium pellant, verum procurent: pugnat cum Lud. Cappello, qui 12. theſi de regimine Eccleſiæ eadem reponit quæ Iſidorus, nempe Reges ideo regnare ut bonum tam Spirituale quam temporale promoveant, & hanc curam, cujus ſunt ὑπεύθυνοι ipſis à Deo demandatam.

CAPUT IV.

Vanitas & futilitas Poteſtatis Voetianæ oſtenduntur.

SECTIO I.

Id Imprimis elucet in eo, quod tam latè pateat poteſtas Paſtorum quam poteſtas Magiſtratûs.

NIhil quod ſciam magis prodit vanitatem Juriſdictionis diviſæ in Eccleſiaſticam & Civilem, tum legum perinde diviſarum in Eccleſiaſticas & Civiles, quam hæc conſideratio, quod poteſtas primi ordinis tam latè pateat quam hominum con-

ditiones, leges, negotia, fora, profeſſiones, ut Paſtor Euangelicus debeat cognoſcere de omni homine, controverſia, lite, negotio, in quibus ſubeſſe poteſt juſtitia, iniquitas, peccatum. Sane Juſtitia definitur à Juſtiniano perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi: ſed ulterius ſe extendit cognitio Paſtoris, quam Juriſprudentia facit, quæ regit tantum actiones externas, vim prohibens & ſarciens damna; Sed non inquirit in actiones internas, nec leges dat affectibus, nec voluntati inſtillat honeſtatem & pietatem in qua ratio formalis virtutis, quam docet & format Paſtor Euangelicus, poſita eſt. Sanè paſtores pro munere legatorum miſſorum in hunc mundum cœlitus debent hortari, dehortari, monere, jubere in nomine Dei cujuſcunque ſortis homines, ut pœnitentiam agant, & credant Euangelio: nec eorum eſt tantum concionari in templo ex cathedra, ſed intra templum, omni loco, tempore, adire fora, tribunalia, Regum curias, pauperumque tabernas, ac officii ſubmonere, Judicia Dei annunciare, Regem ipſum adoriri, quod fecit Joh. Baptiſta, & alteri Herodi diſtrictè denunciare ut dimittat fratris uxorem. Si Rex aſperior ſit tributis, monebitur à Paſtore, ut oves tondeat non deglubat: Judices & viros forenſes hortabitur paſtor ut arceant à ſe artes doloſas, neve producant lites captionum pedicis, Judicia morando: medicis edicet ne ægros officioſè occidant, neve lucra faciant ex mortibus hominum: Ducibus & viris militaribus ne bellum auponentur. Et cum propria authoritate non poſſint indicere Synodos, exponet ſuam ſententiam poteſtatibus ſecularibus de neceſſitate convocandi. Atque ut paſtor Euangelicus debet cognoſcere judicio declarativo & diſcretivo de omni negotio cui ſubeſſe poteſt aut obliqua aut recta voluntas, juſtitia, æquitas, peccatum & error tum judicii, tum voluntatis: ſic ex adverſo poteſtas ſecundi ordinis poteſt de omni re, negotio & homine cognoſcere, leges condere, ſancire, cogere pro imperio ad obſequium vel ad pœnam, ut jam, cum cognitio, tam rerum civilium viro Eccleſiaſtico competat

Digitized by Google

petat, quam Magiſtratui rerum Eccleſiaſticarum, quis non videat quam vana & futilis ſit diſtinctio Juriſdictionis & legum in Eccleſiaſticas & Civiles, ut per eam attribuatur Juriſdictio Eccleſiaſtica Paſtoribus, Civilis Magiſtratui.

Non negaverim tamen meritò & congruè vocari Synodos, Conſiſtoria, cœtus Eccleſiaſticos, propter materiam de fide, de diſciplina Eccleſiaſtica in illis cœtibus tractandam: ſed inde non magis ſequitur concluſiones horum cœtuum eſſe effectus poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam theoremata & pronunciata Philoſophorum, Medicorum, Mathematicorum, virorum Militarium in ſenatu Academico, Medico, in cœtu ducum, concluſiones eſſe Juriſdictionis Philoſophicæ, Medicæ, militaris, & Mathematicæ. Clar. Rivetus totam controverſiam de poteſtate Eccleſiaſtica decidit & expedit unicâ diſtinctione, *formaliter* & *materialiter*, ait pro varietate cœtuum, legum & conſtitutionum dari civiles, Eccleſiaſticas, Academicas, Militares, Medicas, quæ *materialiter* diverſæ ſunt, licet ſint eædem *formaliter*, quatenus unam ſanctionem recipiunt ab una & ſuprema poteſtate ſivi intra ſive extra Eccleſiam.

SECTIO III.

Quod Voetius parum ſibi conſtet in deſcribenda ſua poteſtate & à ſe orſa detexat.

POſtquam meridianâ luce clarius palam feci in omni cœtu Eccleſiaſtico duas poteſtates diſtinctis & exertis capitibus conſpici & exerceri, unam ſe exerentem per miniſterium verbi, alteram poteſtatis Magiſtratûs, aut ei analogam. Id quod ſupereſt operis ad profligandum poteſtatem VOETIANAM facillimo negotio expedietur, intellectis quippe quæ prioribus capitibus expoſui, per ſe corruet poteſtas tam infirmis tibicinibus ſuffulta.

Verum

Verum Voetius ſimilis muribus quibus multa ſunt ſuffugia, ut fallant prenſantem, commentus eſt varias ſtrophas & artes quibus ſuam poteſtatem modò probet eſſe Juriſdictionem propriè dictam, modo neget, quandoque in totum à Magiſtratu abjudicet: alias partem aut modum poteſtatis ei adjudicet, diceres nonnunquam non averſum à Ludovico Molinæo in aſſignanda vera poteſtate paſtorum: Quemadmodum enim hic non admittit aliam poteſtatem Eccleſiaſticam, præter poteſtatem functionis, quam voco primi ordinis poteſtatem, quæ tota, tum ſe exerit in volentes, tum cœleſtis eſt & Divina, tantæque virtutis, ut hominem à tenebris in lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum tranſferat. Pariter paria aut æqua lego apud Voetium.

p. 122. *Affectiones poteſtatis Eccleſiaſticæ ſunt iſtæ, quod ſit ſacra, non ſecularis aut de hoc mundo; nam regnum Chriſti non eſt de hoc mundo.*

Eſt efficax circa conſcientias apud quas ſe manifeſtat, convincendo, obſtando, ligando, & Judicio miniſteriali ac denunciatione excludendo ex regno cœlorum, non verò coactiva externè, quippe quæ non habet Juriſdictionem cum Imperio, ſed purè putè miniſterialis eſt, non eſt ἀνυπεύθυνος *ſed tenetur rationem reddere in dogmatis & legibus ferendis, in regimine aut Juriſdictione, omniumque conſcientias, quotieſcunque res ita fert, debi-*
p. 142. *tè de actis & agendis ſuis informare.* Et alibi, *poteſtas Eccleſiaſtica eſt formaliter ſacra, religioſa, Spiritualis, obteſtatoria, precatoria, denunciatoria, purè miniſterialis, paterne & fraterne admonens, non tam Judicialiter Judicans, quam Dei Judicium indicans & conſcientiis manifeſtans.* Hæcce licet videantur (forſan errore typographi) parum latina, & abhorrentia à Tulliano eloquio: attamen in ſumma eadem loquuntur quæ Ludovicus Molinæus, videlicet.

1. Miniſtros pro munere legatorum, paſtorum, & annunciatorum ac præconum Euangelii æterni, illis concrediti, præditos eſſe

eſſe poteſtate aut potius potentiâ & facultate (verbo Divino potius quam perſonis affixo) convertendi homines ad fidem, ut faciant opera pœnitentiâ digna.

2. Eorum eſſe Judicio diſcretionis & declarativo, ſuaſorioque Judicare & pronunciare de fide & controverſiis circa fidem, quænam ſit voluntas Dei. Tum imperare Dei mandata (non ſua) & perferre: atque Judicia Dei impœnitentibus & immorigeris denunciare, promittere verò pœnitentibus remiſſionem peccatorum & vitam æternam.

3. At neminem cogere, niſi qui cogi ultro vult, cum nemo niſi volens & perſuaſus convictusque pertineat ad regnum Dei.

Atque hæc ſunt conſectaria placitorum VOETII & Molinæi; plane gemina in aſſignanda vera paſtorum poteſtate, quam dixi ſuperius pertinere ad poteſtatem primæ claſſis. Nulla unquam lis VOETIO moveretur, ſi intra hanc poteſtatem ſtaret, nec inſuper poteſtatem attribueret paſtoribus quâ Euangelicis quæ propriè eſt Magiſtratûs poteſtas, ſive aſſumpta per diſciplinam confœderatam, ſive ab eo delegatam.

Nulla inquam, lis VOETIO moveretur, ſi intra hanc poteſtatem ſtaret, nec poteſtatem paſtoribus quâ talibus (quam diximus pertinere ad ſecundam claſſem poteſtatum) aſcriberet, ut eſt poteſtas νομοθεσίας leges condendi, in Eccleſia diſciplinam conſtituendi, Synodos convocandi, ad eas deputandi, vim & validitatem canonibus imprimendi, neceſſitatemque eis parendi, tum deponendi & excommunicandi Judicio, à quo non debeat fieri provocatio ad Magiſtratum, quos quidem actus nolim in totum negare exerceri poſſe à paſtoribus & miniſtris, licet non qua miniſtris & paſtoribus Evangelicis, ſed poteſtate judiciariâ præditis, liberis capitibus, & de Jure naturali humano atque gentium aſſumpta, vel, ubi Magiſtratus eſt pius & fidelis, ab eo delegata.

Verum conſtanter pernegamus vel eam poteſtatem cœleſtem

Digitized by Google

quam modò nobis deſcripſit, producere ejuſmodi actus, vel cum ratione concordare, ut ei nomen Eccleſiaſticæ indatur. Actus quidem veræ poteſtatis paſtoralis in Synodo ſunt Judicio declarativo, ſuaſorio & diſcretionis, exponere quæ videntur conducere ad ædificationem Eccleſiæ: at diſcedere in majorem aut minorem numerum, imprimere vim canonibus latis à majori numero, non eſt actus poteſtatis in verbo: nec ſubmittere ſe canonibus latis à majori numero paſtorum, actus eſt obſequii, quod poteſtati cœleſti & Divinæ debetur, ſed poteſtati humanæ & Judiciariæ.

Sic in condenda diſciplina, forſan ut Tribonianus, (qui pro majori ſua peritia in Jure, quam fuit Juſtiniani, ſuppeditabit materiam codici, ſed non dabit formam & vim legis) partes ſuas habebit etiam pro munere Evangelico. Sed cum omnis diſciplina ſit Juris humani, varietque pro ratione temporum, locorum & hominum, eam condere non eſt magis paſtoris opus, quam Magiſtratûs, multò minus ei vim legis & canonis imprimere & adigere ad ejus obſequium: quod ſanè opus eſt poteſtatis humanæ & Judiciariæ, actuſque autocratoris, leges præſcribentis ſubditis, quibus non tenentur obtemperare, illi qui degunt in alieno Imperio: id diſerte dicit Petrus Molinæus. *Thes. Theol. de Conciliis theſ. 9.* *Potuerunt quidem canones Eccleſiaſtici conditi Nicæa, aut Chalcedone eſſe Eccleſiis Æthiopicis, aut Indicis exemplar, & quædam imitatio, at non lex aut regula, cui obſequi tenerentur.* Non dicet VOETIUS ideo iſtos Canones latos à Patribus Nicænis obligaviſſe ſubditos Imperatorum, non quia ſubditi erant Imperatoris, ſed quia præpoſiti erant Eccleſiarum in toto Conſtantini Imperio. Sed toto cœlo erraret, ſi quid ejuſmodi exciperet: nam ſi obligatio parendi acceſſit ex Epiſcopis locorum, unde Nicæam confluxerunt: tum etiam Eccleſiæ extra Imperium Conſtantini ex æquo debuiſſent recipere pro lege & regula canones Nicænos; ſiquidem teſte Socrate, ad hanc Synodum allegati aut vocati eſſent Epiſcopi Eccleſiarum tam extra, quam

intra

intra Imperium Conſtantini, ſed licet id aſſereret Voetius, non tam à vero aberraret, quam quod arripit dogma, quod ait Pontificium eſſe, nempe νομοθεσίαν canonum Nicænorum penes fuiſſe, non Imperatorem, ſed Epiſcopos, aut cum ait indictionem & convocationem Synodorum pertinere ad Ecclesiam primo & per ſe, ad Magiſtratum verò ſolummodo conſenſum, ſed ne eum quidem per ſe, ſed per accidens: quam poteſtatis vindicationem, tantum abeſt ut credam pertinere ad cœleſtem & Divinam, quam modo deſcripſit poteſtatem, ut grande facinus putem, & iniquam occupationem alienæ poteſtatis, ut cum dicit p. 268. confirmationem & approbationem canonum à Magiſtratu non eſſe requiſitas, non poteſt ab ore Jeſuitæ prodire dogma magis Pontificium: nam contra adeo eſt requiſita Magiſtratûs approbatio, ut nomine tenus ſint canones, nec à quoquam, ſint obſervandi, priusquam approbati, & recepti fuerint ab eo *Synodorum Sanctiones* (inquit Illuſtris vir Chriſtoph. Juſtellus Præfat. in Cod. Afric.) *cum primum à Principe receptæ ſunt & confirmatæ; ipſæ quoque obſervandæ ſunt.* p. 196.

Sed hic Voetius plane ἀσύςατα loquitur: quî enim poteſt illa poteſtas νομοθεσίας Synodos indicendi & convocandi concordare cum hoc quod modo dixit, nempe teneri paſtores actorum ſuorum rationem reddere omnium conſcientiis: an legiſlator Synodo peractâ tenetur rationem reddere legis in ea latæ privatis? an non ulterius eſt lex illis quam quatenus approbaverint? profectò hæc ſunt ægrorum ſomnia: ſed quæ demonſtrant nihil futilius poteſtate Eccleſiaſticâ, cui modus obtemperandi non eſt in imperante, ſed in obſequente: cujus conſcientiis illa eſt ὑπευθύνη & reddendis rationibus obnoxia.

Conſimiliter conceſſerim Voetio, quod rectè affirmat in deſcriptione poteſtatis Paſtoralis, nempe actum Paſtoris denunciando peccatori in impœnitentia perſtanti eum excluſum eſſe è regno cœlorum, pertinere ad poteſtatem Chriſti, cujus

 regnum

regnum non eſt de hoc mundo; Imò eam excluſionem non incommodius dici actum Paſtoris, quam affirmamus Paſtorem remittere & retinere peccata: quin non negaverim illum eſſe actum veræ poteſtatis Paſtoralis: pronunciare impœnitentem indignum eſſe qui participet ſacram cœnam. Sed actu excludere & oppoſitu corporis, is non eſt actus Paſtoris, ſed poteſtatis laicæ, ſine qua Ant. de Dominis ait Epiſcopos & miniſtros nihil poſſe. *Sine laica* inquit *poteſtate nihil obtinebimus, nos hunc potius excludendum eſſe pronunciamus, quam actu corporali excludimus.*: Sanè actus excludendi & depellendi indignum ex ſacra communione per vim, non eſt magis actus Eccleſiaſticus, quam actus eſt Medicus pellere collegam è Societate ſua.

Sed nulla in re magis ſe prodit, tum vanitas tum futilitas poteſtatis perperam dictæ Eccleſiaſticæ quam quod

1. Nondum conſtet apud iſtius poteſtatis vindices, quo in ſubjecto primariò collocari debeat? an in ſolis Paſtoribus? an aſcitis ſenioribus & primoribus cœtûs? an verò in tota univerſitate cœtûs.

2. In quam Societatem operis venire debeant ſeniores? an verbi, an duntaxat regiminis? Et quæ Scriptura Sacra exhibet duplex genus Seniorum, unum, cui verbum concreditum eſt una cum regimine, alterum, cui regimen duntaxat ſit demandatum?

3. Nec certò conſtat apud iſtius poteſtatis vindices, an poteſtas ligandi & ſolvendi pertineat ex æquo ad Paſtores & ad Seniores? an etiam poteſtas clavium ad hos & illos juxta? quidam enim volunt illam poteſtatem clavium, tum ligandi & ſolvendi, intelligi tantum de poteſtate verbi, agentis in corda, & aperientis januam ad fidem. In quam poteſtatem error non cadit. Secundum quod volunt, (ut par eſt) illam poteſtatem ad ſolos Paſtores pertinere. At nolunt illam poteſtatem intelligi de poteſtate diſciplinam applicandi, in quam error cadit, &

quæ

quæ ex æquo pertinet ad Paſtores & Seniores. Alii volunt poteſtatem, tum clavium, tum ligandi & ſolvendi etiam extendi ad poteſtatem regiminis. Atque hi ſtatuant neceſſe eſt omnem poteſtatem Eccleſiaſticam bimembrem eſſe, unam verbi & Spiritus, convertentis ad fidem, in cujus poteſtatis uſu ajunt, quicquid ligatur aut ſolvitur in terra, per miniſtros Euangelicos, etiam in cœlis aut ligari aut ſolvi; alteram quæ exercetur in adminiſtratione diſciplinæ, in qua ligatio aut ſolutio in cœlis non ſemper reſpondet ligationi aut ſolutioni in terris.

4. Sed nec apud vindices iſtius poteſtatis perperam dictæ Eccleſiaſticæ una eſt mens in definiendo, quodnam membrum ex illa bimembri poteſtate ſit propriè dicta Juriſdictio, quodque ſit vel ὑπεύθυνον vel ἀνυπεύθυνον hoc eſt vel obnoxium, vel non obnoxium reddendis rationibus Magiſtratui. De primo membro poteſtatis minor eſt lis, ſiquidem ejus Judicia, actusque nulli poteſtati ſubjiciantur præterquam Chriſti.

5. De altero membro poteſtatis quæ ſe exerit per applicationem diſciplinæ, tot ſunt ſententiæ quot capita; quidam negant eſſe propriè dictam Juriſdictionem, alii volunt propriè dictam eſſe Juriſdictionem. Sed nec hi, nec illi, ſibi conſtant in ſua & eadem ſententia, circa iſtius poteſtatis aut ſubordinationem, aut Independentiam. Nam tam eorum qui negant, quam eorum qui volunt poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe proprie dictam Juriſdictionem, ſunt quidam qui volunt, ſunt & alii qui nolunt eam ſubjici per ſubordinationem Magiſtratui. Eorum qui nolunt judicia eſſe reviſioni obnoxia, varia & nutans perinde eſt ſententia: quidam enim volunt, ultimum judicium poni in Synodo Nationali, alii in Eccleſiis particularibus conjunctim, alii diviſim in unaquaque. Nonnulli in conſcientia cujuſque, ut quandoque ſtatuere videtur VOETIUS.

Sed ubique error eſt & mentis excæcatio. nam

1. Qui negant poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe propriè dictam

Digitized by Google

Juriſdictionem, ſed volunt eam per ſubordinationem ſubjici Magiſtratui, uno tantum nomine errant: quod nolint illam Juriſdictionem eſſe proprie dictam Juriſdictionem: Nullius enim authoritatis Judicia ut paternæ, marita'is, deſpoticæ, adeoque Eccleſiaſticæ, concedi poſſunt de Jure poſſe retractari à ſuprema poteſtate, quin concedatur omnes illas authoritates, nempe paternam, maritalem, deſpoticam, Eccleſiaſticam eſſe ex æquo ſubalternas authoritates: adeoque participari naturam ſummæ poteſtatis, adeoque omnes propriè dictas eſſe Juriſdictiones.

2. At qui nolunt poteſtatem Eccleſiaſticam proprie dictam eſſe Juriſdictionem, nec ſubjici per ſubordinationem Magiſtratui; duplici nomine errant 1. quia ut dixi cum ſit de natura poteſtatis Magiſtratûs, debeat eſſe proprie dicta Juriſdictio 2. adeoque debeat ſubjici Magiſtratui.

3. Sed quæ ægrorum ſomnia ſtatuere duplicem poteſtatem Eccleſiaſticam; unam quæ ad Paſtores duntaxat, alteram quæ ad Paſtores & Seniores juxta pertinet, unam verbi, alteram regiminis, unam cujus Judicia ſemper ſunt rata in cœlis, alteram cujus judicia non ſunt ſemper rata in cœlis. Sane cum Scriptura Sacra dicat *quicquid* & *quacunque ligaveritis*, in ea plane conficitur vel omnia Paſtorum Judicia rata & probata eſſe in cœlis, quod tamen falſum eſt: vel Chriſti verba intelligenda eſſe de ſola poteſtate, ſeu potentia verbi in corda agentis: fateatur hic VOETIUS ſe victum, detque gloriam Deo, aut obmuteſcat.

SECTIO III.

Vanitas & futilitas diſtinctionum, diviſionum & modorum quibus VOETIUS *ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam probare conatur.*

CYnicus apud Athenæum urbanè ridebat Ulpianum quendam, qui cum nominibus & verbis luderet ut ſenſus rerum obſcuraret, illa nomina vocabat myſteria, imo pertendebat

debat non incommodè poſſe vocari myſteria tot foramina in quæ mures ſolent ſe proripere. Hic res VOETII agitur, qui rem per ſe claram, qualis eſt ſtatus quæſtionis de poteſtate, tum paſtorum, tum Magiſtratûs, circa ſacra, infinita & prolixâ varietate ambagum, diviſionum, diſtinctionum & modorum, ita perplexam, intricatam & obſcuram reddidit, ut Magiſtratus & populus potius quam enecentur, aut lectione, aut comprehenſione librorum editorum à Belgis de poteſtate Eccleſiaſtica, illarumque ſpinarum attrectatione, ſatius ducant, tanquam mitia animalia ſubmittere ſe jugo poteſtatis perperam dictæ Eccleſiaſticæ. Dixi rem claram, quippe quam unâ pericope vir etiam rudioris intellectûs ſed nullo præjudicio abreptus capere poſſet, qualis eſt quæ habetur in corollariò Lud. Molinæi. p. 228.

Statuimus non ulterius Magiſtratum eſſe Judicem ſummarum controverſiarum & fidei, quam quatenus in foro externo nulli canones, nulla definitiones, imo ne pracepta decalogi & Euangelii ullam obligationem & neceſſitatem parendi cuiquam propter iram imponunt, ſed tantum propter conſcientiam, niſi rati approbati & quaſi demum de novo à Magiſtratu ſanciti fuerint: quatenus etiam nihil decernere & Imperare debet cæco judicio, planè judicium de quacunque re tam ſummum debet eſſe, quam Imperium: ut cujus eſt ultimo decernere & Imperare, ejuſdem ſit ultimò judicare.

Ad quæ ſi ad epimetrum addantur ea quæ dixit paulò ante ubi deſcribit poteſtatem Paſtorum circa ſacra, lector nihil poterit amplius requirere ad perfectam intelligentiam de poteſtate tum Paſtoris, tum Magiſtratûs in Eccleſia.

Pertendimus poteſtatem clavium, qua etiam dicitur ſolvendi & ligandi poteſtas, non tam perſonis paſtorum, quam verbo Dei affixam eſſe, ſeque exerere per miniſterium Euangelicum, dum ad auditionem verbi, & vi Spiritus Dei in verbo homo vinculis peccatorum ſolvitur, & ei regnum cœlorum aperitur. p. 225. 226.

Profectò ut Pontificiorum mendacia & deliria nunquam fidem

fidem inveniſſent, nunquam dogma de cultu imaginum ſine diſtinctione duliæ & latriæ, nunquam Invocatio ſanctorum ſine diſtinctione mediatoris, redemptionis & interceſſionis, ſic nec unquam Juriſdictio Eccleſiaſtica iviſſet in vulgus, niſi hoc Satellitio diſtinctionum & modorum ſtipata, qua in re fraus fuit longè maior in vindicibus poteſtatis perperam dictæ Eccleſiaſticæ, quam in Romanenſibus doctoribus, & canoniſtis, in quibus ne centeſimam modorum & diſtinctionum reperias ad præſidium poteſtatis Papalis quam invenias apud Wallæum, Apollonium, Revium, Triglandium, Gilleſpicum, & VOETIUM, hunc imprimis, Nam Papa ſimilis Alexandro magno, una amputatione ſolvens nodum Gordium, contentus eſt longa & ſola poſſeſſione Imperii terreni, & ſecurus VOETIANORUM modorum & diſtinctionum, quæ tanquam mille rudes gladiatoriæ, imbelles ſunt contra accinctum unico gladio, ſed acuto & ferreo, cui deeſt Imperium terrenum, quo Magiſtratum ſibi mancipet, fucum faciat, oportet & oſtentet innumeros gladios è ligno aut ſaccharo auratos, quorum fulgore aut amorem aut terrorem creët.

Tum qui tam Imperium Regum ſibi ſubjecit, quam intellectum huic pronunciato, *cum duæ Juriſdictiones non poſſint collateraliter & in æquo ac pares ſtare in uno territorio ſine perpetua Juriſdictionum colliſione & conflictu, magis æquum, conſentaneum, & cum ratione concordare, ut potius Juriſdictio civilis aut politica ſubjiciatur Eccleſiaſticæ, quam hæc illi.* Qui inquam ſemel mancipavit Regum intellectum huic theoremati, liber eſt à conquirendis hinc & inde diſtinctionibus & modis, quibus ſuum Imperium Regibus & potentibus probet. Bellarminus unica diſtinſtinctione *directè* & *indirectè* aſtruit Imperium Papæ in Reges & nationes. At VOETIO ſtabilienti duo regna in uno territorio collateralia, adeoque cum recta ratione pugnantia corroganda fuerunt innumera ſuffugia, effugia, diverticula, quibus ſcotomate & vertigine ſuos percelleret, adeoque duceret quo vellet.

Atque

Atque multitudo ſuarum diſtinctionum arguit ſuam poteſtatem mendacii aut fraudis, cujus natura eſt, quo induat ſpeciem veri, ſibi accerſere varios modos, diviſiones, diſtinctiones, evaſiones, quibus tanquam modio cinerum in oculos injecto, eorum acies obnubilatur, ne verum à falſo dignoſcant. Nobis qui amplectimur veram ſententiam de poteſtate Eccleſiaſtica, tanto illuſtrior ſe prodit, quod ad eam tuendam unicam tantum afferimus diviſionem poteſtatis in internam & externam. At VOETIUS præter internam & externam, habet intrinſecam, extrinſecam, declarativam, coactivam, Imperativam, executivam, privativam, cumulativam, auxiliarem, deſtructivam, electivam, directivam, objectivam, formalem; formalem ratione objecti, formalem ratione modi exequendi Juriſdictionem, tum implicitam, explicitam, hypotheticam, reductivam, abſolutam, conditionalem, obteſtatoriam, precatoriam, denunciatoriam, approbativam, permiſſivam, tolerativam; nam VOETIUS palam præcipit etiam Gilleſpico in luxuriante ſegete diſtinctionum & modorum.

Audiamus Gilleſpicum facem præbentem VOETIO, ille p. 263. ergo in Aaronis virga, ut ſtatuat modum & figat limites utrique Juriſdictioni, ait.

Magiſtratus multum utilis eſt & juvans in regno Chriſti. Poteſtas Magiſtratûs valde eſt utilis ad repurgandam Eccleſiam ſcandalis, ſed qua tandem ratione id fit non perfectè, ſed pro tanto, non omnibus modis, ſed more ſuo, non intrinſecè ſed extrinſecè; non primariò ſed ſecundariò: non directè ſed conſequenter: non ſub formalitate Scandali, ſed ſub formalitate criminis: Juvat quoque aliquos decerpere ramos ex ingenti Sylva VOETIANARUM diviſionum & diſtinctionum.

Partes poteſtatis diſtribuuntur vel ratione objecti occupantis ſeu termini, vel ratione ſubjecti cui ineſt: priore modo dividitur, in dogmaticam, nomotheticam, diatacticam, ſeu guber- p. 115. 117.

 natoriam,

natoriam, & diacriticam, ſeu Judiciariam: alii ad bimembrem revocant poteſtatem, ſcilicet regiminis, & Juriſdictionis, ſeu clavium ordinis & Juriſdictionis. Poteſtas Eccleſiſtica dividitur in dogmaticam & Judicialem, ſeu diſciplinarem. Item 1. *in dogmaticam* 2. *in gubernantem ſeu ordinantem, & incidentem ſeu occaſionatam: gubernans ſeu ordinans in legiſlatoriam & gubernatoriam. Secundum illas leges* 3. *ſubdividitur in poteſtatem cenſurâ notandi, excommunicandi, & in poteſtatem excommunicatos reconciliandi: huc reducitur poteſtas renunciandi unitatem Eccleſiis, aut doctoribus, aut membris Eccleſiæ extra confœderationem & propinquam atque explicitam communionem noſtram conſtituentis. Atque hæc eſt partitio poteſtatis Eccleſiaſticæ ſecundum objectum: partitio ſecundum ſubjectum ſic inſtituitur: alia poteſtas communis totius Eccleſiæ ſecundum omnia & ſingula membra diſtributè conſiderata, alia propria ſecundum hanc aut illam partem diſtinctè & oppoſitè conſiderata. Illa duplex, & continet immunitates, privilegia, & Jura Eccleſiæ in rebus ſacris, & Eccleſiaſticis, quam nonnulli vocant clavem libertatis, & poteſtatis ſimpliciter ita dicta.* 1. *membrum eſt poteſtatis, ſeu clavis authoritatis & directionis, idque in doctrina ubi antecedenter & directivè judicant,* 2. *in electione miniſtrorum* 3. *in receptione & excommunicatione membrorum, ubi itidem antecedenter, directivè, authoritativè agunt, judicant, determinant, aut membrorum ſimul & anteceſſorum quatenus & illi ſunt membra.* Addit non eadem omnes ſentire circa has diviſiones, circa ſubjectum poteſtatis *quidam volunt eſſe miniſterialem clavem authoritatis & directionis in toto corpore Eccleſiæ quâ talis virtualiter, in ſolis verò anteceſſoribus formaliter; aut ſic eſſe in corpore Eccleſiæ, ut principio (quod) in anteceſſoribus ut principio (quo)* p. 263. aſpergit grandinem diſtinctionum, ait *dari obligationem directam, indirectam, materialem, per accidens, ſeu per aliud* &c. hæc referre, refellere eſt. Si reviviſceret Tullius, non intelligeret poteſtatem *incidentem occaſionatam* &c.

SECTIO IV.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Quod ex occaſione Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis diſtinctæ à politica, introductæ in orbem Chriſtianum à Fabris myſterii iniquitatis, paſtores Evangelici, ineunte reformatione, dum ſe veſtiunt poteſtate Chimerica, vana & inutili, qualis eſt poteſtas perperam dicta Eccleſiaſtica, exciderunt poteſtate reali, quæ ipſis ex æquo cum Regibus, Magiſtratibus, & Principibus populi ac Judicibus debetur.

IN turba conſiderationum, quas longo ordine poſui ſectione prima capitis tertii hujus diſſertationis, hæc tria haud vulgaris argumenti, nec intellecta niſi ab illis quos natura meliori luto formavit, non pigebit hic iiſdem verbis reponere, & explicatius illuſtrare.

1. Ad paſtores quidem (ut olim ad Sacerdotes, Levitas, & Prophetas) pertinet poteſtas ſecundi ordinis non quatenus ornati ſunt ſacrâ functione, ſed quatenus ſunt homines (& libera capita) præditi poteſtate humanâ, delegatâ, aut aſſumptâ, tum quia doctrinâ, pietate, prudentia, rerum uſu ſunt (aut deberent eſſe) conſpicüi, atque Juris Divini, humanique ſunt conſulti, ſupra reliquos hominum ordines.

2. Quibus ideo non ſolum ſolis deberentur conſeſſus in Synodis & conſiſtoriis, ſed & potiores (modò non primæ) in adminiſtratione reipublicæ, tum in conſilio Regum & ordinum, publicisque, ac privatis Reipublicæ conventibus.

3. Ut jam non opus habeant paſtores locupletari additamentis chimericis, petitis à poteſtate Eccleſiaſtica, cum ipſis ſolis competat poteſtas primi ordinis, at illis inſuper æquales penè partes competant cum Magiſtratu in adminiſtratione poteſtatis quæ eſt ſecundi ordinis, quæ tam intra quam extra Eccleſiam exercetur.

Apud me certò conſtat, miniſtris Euangelii deberi æqua & paria Jura Subſellii & ſuffragii in conſilio & concilio ſummi Magiſtratûs, in Parlamentis, & publicis regni conſeſſibus, cum eminentioribus de gente laica: quin eos magis idoneos reddi ad capeſſenda Reipublicæ munia (non minora ut apparitorum, aut Satellitum, nec media ut Judicum, ſed majora ut legiſlatorum & conſiliariorum ſtatûs) per functionem ſacram, reconditioremque intelligentiam in jure tum Divino, tum humano, cujus de more ſunt conſultiores reliquis hominum ordinibus, ut ſunt Mercatores, Cauſidici, Medici. Cur non æquum illis eſſet jus cum principibus populi, quemadmodum fuit ſub œconomia legali? cur Jure quo potiebantur in Eccleſia Romana, exciderunt? an debuerunt capite diminui per mutationem religionis in melius? an facti reformati debuerunt excidere pari libertate, quâ Pontificii doctores ajunt exutos Magiſtratus, quam primum nomen dederunt Papæ; quaſi Rex Romanæ communionis minus ſit ἀνυπεύθυνος quam Ethnicus Princeps, nec poſſit ſe aggregare ad cœtus Romanenſes ſine jactura ſuæ αὐτοκρατορίας. Et ſiquidem à Sancto Paulo, tum paſtores, tum ſeniores habeantur ex æquo perſonæ duplici honore dignæ, illæ præſertim quæ vacant verbo & orationi; cur non hi, & illi potientur eodem privilegio, ut poſſint ex æquo exercere Magiſtraturam, & deputari ad comitia Reip.? Et cur liberum caput cui ſunt fundus, domus, uxor, & liberi, ſubjicietur legibus ſeu Civilibus, ſeu Eccleſiaſticis, deliberatis, agitatis, & latis in publico conſeſſu in quo ipſe nec Scamnum premit, nec ſuffragium habet, imo nequidem poteſtatem ad eum deputandi. Cur functiones advocatorum & medicorum quæ minorem & invicem & cum Magiſtratu habent Societatem, quam functio ſacra, eos minus reddet capaces publicæ ſtationis ſuſtinendæ inter Patres conſcriptos?

Joſeph. Steph. Dr. Canonicus de poteſtate co*activa* quam Romanus Pontifex exercet in negotia ſecularia. *Principes quam primum Chriſtiani effecti ſunt, & legitimum imperium per Sacerdotum inaugurationem ſuſceperunt, non jam abſolutè gubernant, ſed una cum Chriſto Imperii habenas gerunt, ideſt una cum Sacerdotibus ditiones ſibi ſubjectas tenent.*

Sanè

Sanè nullus dubito quin injuria quam facit Magiſtratus miniſtris, diminuendo eorum caput jure civitatis, & ſpoliando eos Poteſtate Civili & Politica, firmiorem ſtabilitatem dederit lapidi primo appoſito ad fundamentum ſubſtratum ædificio myſterii iniquitatis, hoc eſt collateralitati (ut ita loqui liceat) Juriſdictionum, tum magnum fuiſſe Incitamentum & inductionem animi miniſtris Euangelii ad ſibi ſeparatim attribuendum Juriſdictionem, quâ tamen larvâ exſolverentur, ſi in ſocietatem Reipublicæ cum Magiſtratu venirent, & ſi uno Conſilio ut olim in Republica Judaica viri Eccleſiaſtici æqua & paria ſcamna haberent cum reliquis hominum ordinibus, in quibus de ſumma rerum, de pace, de bello, de legibus condendis in quacunque demum materia deliberatur. Sed, (quæ fraus!) occupandi & diſtinendi fuerunt miniſtri ejuſmodi cruſtulis & crepundiis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ne ſibi veram ereptam poteſtatem ſentirent.

SECTIO V.

Strictura in aliquot loca Voetii.

Atque hactenus retexeimus telam VOETIANAM, ut non habeam opus eam pilatim diſſolvere.

Plura ſumit pro conceſſo, in quibus quandoque hæret dubius inter ſacrum & ſaxum, nec ſibi conſtans;

Magnum illi eſt αἴτημα quo ubique præſupponit 2. Chronic. 19. & Deut. 17. agi de duplici Synedrio, uno Politico, altero Eccleſiaſtico, cum tamen p. 244. ſic loquatur, quaſi Eccleſia & Reſp. in unum corpus coaluiſſent: ibi enim dicit, unum eundemque hominem fuiſſe civem Reip. & Eccleſiæ, mox pene in eadem pericope ſui oblitus, ait Juriſdictionem ſacram fuiſſe ſeparatim adminiſtratam à Civili: illâ defunctos fuiſſe Sacerdotes & Principes Sacerdotum.

Quod ſæpe ad tædium reponit de Huzzia, præter rem eſt: diverſitas functionum jure Divino aſſignatarum, non obſtabat quominus una eademque Juriſdictione Rex, Sacerdotes, Principes populi, & familiarum regerentur. *Hoc exemplum* (inquit Rivetus) *tertio quoque verbo uſurpant, qui Magiſtratui jus omne in res Eccleſiæ eripiunt.*

In decal. p. 1373.

Paſſim argumenta profert, quæ hac hypotheſi nituntur, quod Magiſtratus non ſit de eſſentia Eccleſiæ, cum tamen Eccleſia nunquam ſit ſine Magiſtratu ſeu poteſtate Magiſtratûs, vel delegata, vel aſſumpta per confœderatam diſciplinam. Sanè tam Magiſtratus eſt de eſſentia Eccleſiæ, quam familia, in qua virtualiter reſidet poteſtas Magiſtratûs.

p. 138. *Qui non eſt in Eccleſia non habet poteſtatem Eccleſiaſticam, ſed Magiſtratus &c.* hic duo ſunt magna αἰτήματα 1. quod Eccleſia ſit ſubjectum capax exercendi Juriſdictionem 2. quod detur poteſtas Eccleſiaſtica: certè non magis quam medica.

p. 141. *Quod nullo modo competit fæminis, illud nullo modo competit Magiſtratui qua Magiſtratui.* Inſulſum eſt: nam ne Magiſtratui competit poteſtas verbi per miniſterium, quæ ſola poteſtas cadit in miniſtros, multò minus fœminis congruit porro ſi competit Magiſtratura fœminis, illis etiam competit poteſtas ſecundi ordinis: imo ut poſſit Synodis intereſſe. Legimus de Pulcheria Auguſta, uxore Martiani, quod ſederit in Synodo Chalcedonenſi.

Ibid. *Qui non habet Eccleſiaſticam poteſtatem à Chriſto qua mediatore, ille non habet poteſtatem Eccleſiaſticam.* Concedo totum. Sed poteſtas VOETIANA, cujus vis canonibus datur à majori numero non eſt à Chriſto mediatore, ſed eadem quæ Magiſtratûs.

p. 140. *Qui non exercet actus miniſterialis poteſtatis* &c. Reſp. ut prius, neque enim actus miniſterii ſunt actus poteſtatis ſecundi ordinis ſeu Magiſtratûs.

Miniſtri non amplius dicendi erunt miniſtri Chriſti ſed Magiſtratûs

Digitized by Google

Magiſtratûs &c. R. Sed nec miniſtri ſunt miniſtri Chriſti in exercitio ſecundariæ poteſtatis, quæ eſt Magiſtratûs poteſtas.

Ubique ut abjudicet à Magiſtratu poteſtatem Eccleſiaſticam, ludit ambiguitate poteſtatis, qualis eſt clavium, tum ligandi & ſolvendi, remittendi, & retinendi peccata: qui actus ſunt poteſtatis primi ordinis, non ſecundi: in cujus exercitio, ut paſtores æquas partes habent cum Magiſtratu, ita hic nullas habet in exercitio actuum poteſtatis primi ordinis.

Ait nuſquàm comparere, nec in ſacra ſcriptura, nec in *p.* 199. praxi Eccleſiæ, quod Magiſtratus Synodis & Conſiſtoriis aut interſuerint, aut præſederint, quod ſanè falſum eſt in Eccleſia Judaica: tum in Synodis œcumenicis & Africanis, ut obſervat Vir illuſtris Chriſtophorus Juſtellus ad codicem canonum Eccleſiæ Africanæ. Sane non liquet quemquam præſediſſe in Concilio Chalcedonenſi præter Magiſtratum. Id affirmat Jac. Capellus, theſi 36, de conciliis contra Bellarminum; nam nec Epiſcopus præſidet quâ Epiſcopus, ſed qua Judiciariâ poteſtate præditûs, ſeu poteſtate ſecundi ordinis, quam ubique dico & affirmo vigere in omni cœtu Eccleſiaſtico. Adde quod falſum ſit effatum V O E T I I, in prima conformatione ſenatûs Eccleſiaſtici à Calvino, in quo non ſolum major numerus Magiſtratuum fuit pars ſenatus, ſed & ei Syndicus præſedit.

Paſſim urget neceſſitatem ut νομοθεσία in ſacris ad paſtores pertineat, ut in civilibus ad Magiſtratum, ſed ſagaci Judice opus eſſet, qui ſic nobis ſacra ab exoticis, Eccleſiaſtica à Civilibus diſcerneret, ut nemo deinceps dubitet, quæ cauſa, quæ materia pertineat ad νομοθεσίαν Paſtoris Euangelici, quæ ad νομοθεσίαν Magiſtratûs, ſiquidem nulla ſit lex Divina (non decalogus) quæ non cenſeri debeat & ſacra & Civilis, quatenus nullam vim habeat in foro Eccleſiaſtico humano & Civili niſi rata ſancita & Imperata fuerit à ſumma poteſtate ſeculari; ut jam, licet

Digitized by Google

licet Synodorum canones tam ſacri eſſent quam decalogus, attamen eorum νομοθεσία non poſſet penes alios eſſe quam Magiſtratum. Profectò ſi Paſtores in Synodum congregati tot eſſent Dii aut tot Apoſtoli ἀναμαρτησίᾳ præditi, eorumque canones tantæ eſſent authoritatis quantæ eſt decalogus, licet eorum authoritas maxima eſſet in foro cujuſque conſcientiæ, nulla tamen eſſet eorum authoritas in quocunque foro humano, ſeu Eccleſiaſtico, ſeu Civili, niſi à poteſtate aliqua armata ſanciti, juſſi & Imperati eſſent: quæ quidem poteſtas non alia poteſt eſſe quam Magiſtratûs.

Sed an canon Synodicus erit magis ſacris accenſendus quam decem præcepta publicata in monte Sinaï? an canon de excommunicando & feriendo anathemate impio magis erit Eccleſiaſtica lex, quam mandatum decalogi de non occidendo. Sed demus tantiſper hanc legem. *Tu excommunicabis impium* eſſe legem Dei: quæ ratio reddi poteſt cur hæc ſola lex ſit de νομοθεσίᾳ quæ ad Paſtores pertineat, & non perinde ad ſanctionem Divinarum legum à Magiſtratu faciendam, atque lex de homicidio, & furto prohibendo? Sed quæ ægrorum ſomnia, fingere nobis in orbe Chriſtiano duplicem νομοθεσίαν & duos legiſlatores, unum Eccleſiaſticum qui ſit Paſtor Euangelicus, alterum politicum, qui ſit Magiſtratus, unum latorem legum Eccleſiaſticarum, alterum, Civilium? quæ quidem carta capit, ſed ſenſus communis nunquam capere poteſt, ut quod vult VOETIUS, duo ſint in orbe tribunalia, cauſis & perſonis ſeparata, quibus ſeparatim & ſeorſim ſua ſit poteſtas, legiſlatio, juriſdictio cauſarum, claſſis, & in latione cauſarum Eccleſiaſticarum Magiſtratus tantum ſuum conſenſum præbeat, ſed non ſit νομοθέτης. Mirum niſi quid ejuſmodi factum eſt in populo Iſraëlitico, ut Moſes lator eſſet legum Civilium & Politicarum, Aaron Eccleſiaſticarum, ad quarum lationem Moſes non authoritatem Judicis, ſed conſenſum ſolum afferret. Sed quid verbis opus eſt? edat VOETIUS

In

Digitized by Google

In Iſraële duplicem legiſlatorem, unum in politicis, alterum in Eccleſiaſticis νομοθέτην. Edat nobis diſtinctos legiſlatores in quatuor primis conciliis, item in illis per tot ſecula, quorum cœtus tam ſacra quam politica tractabant, & leges tam Civiles quam Eccleſiaſticas ferebant, ut alternis judiciis ambigeres conventus ne Politici, an Eccleſiaſtici eſſent.

Si VOETIO eſſet terrenum Imperium, dicerem eodem conſilio νομοθεσίαν attribuiſſe paſtoribus, ut quemadmodum Papa fecit, tandem Juriſdictionem ſuorum dominorum ſuo tribunali Eccleſiaſtico ſubjiceret: nam aut nulla νομοθεσία, aut omnis ad Paſtorem Euangelicum pertinet: id eſt argumentum Bellarmini, cujus vim non video quî poterit VOETIUS eludere præſuppoſito, & νομοθεσίαν lationemque legum Eccleſiaſticarum penes Paſtores eſſe, & Paſtoris Euangelici eſſe judicare & cognoſcere de omni peccato, juſtitia, & injuſtitia.

Sed quod maxime ad rem facit, & quod evanidam, vanam & chimericam reddit poteſtatem VOETIANAM, omnes Theologi uno conſenſu affirmant de decalogo, quod de oratione Dominica, quod quemadmodum nulla ſit materia precum quam non capiat illa oratio, ſic nulla legum ſit materia, nulla Divina, nulla humana, quæ non reducatur ad decalogum, cujus Magiſtratus eſt ex officio vindex & lator: ut jam oporteat ex duobus unum, vel dari claſſes legum quæ non includuntur decalogo, vel omnium νομοθεσίαν penes Magiſtratum eſſe.

Ad finem propero: ficulnea omnia ſunt argumenta quæ deſumit ex Deut. 17. 2. Paral. 14. 1. Samuel 2. 28. Pſal. 149. 7. & 1. Corinth. 14. verſu ultimo: nam citius Dr. Pontificius purgatorium ex illis locis extraheret, quam VOETIUS ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam. An qui jubet paſtores omnia ordine facere, indut eos poteſtate diverſæ naturæ, ab ea quâ omnis cœtus, omnis familia, debet res ſuas componere:

O quemad-

Digitized by Google

quemadmodum non adhibentur ad conſtructionem templi, alia ligna, tectoria, ferramenta, non alii fabri murarii aut lignarii ab eis qui inſerviunt ædificando Sphæriſterio: ſic eadem prudentia humana, idem ordo aptantur cœtibus mercatorum, fabrorum, medicorum, & virorum Eccleſiaſticorum. Idque videntur innuere Reverendi Theologi Weſtmonaſterienſes in confeſſione ſua fidei, ubi ad illum locum, & ad Corinthios
ca. 1. §. 8. cap. 14. ultimo videntur reſpicere: quemque ideo allegant in margine. *Quædam ſunt circumſtantiæ circa cultum Divinum & regimen Eccleſiæ communes humanis actionibus & Societatibus, quæ regi debent per lumen naturæ & Chriſtianam prudentiam, juxta regulas generales verbi, quæ ſemper obſervandæ ſunt.*

SECTIO VI.

Epilogus.

TAmetſi non tantum functio paſtorum ſit omnium functionum nobiliſſima, ſed & poteſtas eorum per miniſterium verbi ſit omnium poteſtatum maximè Divina & cœleſtis, cum ſit ſimilis illi quam Dominus noſter & Apoſtoli agentes in terris exercuerunt, ejuſque præſtantia, maximè in eo eluceat, quod in ſolum animum agat, nec quemquam moneat ad opus aut bonum aut externum, niſi prius Spiritus Sanctus ejus mentem illuminaverit, & ejus voluntatem flexerit, perviceritque.

Attamen pertendo mordicus, illam venerandam, ſeu functionem, ſeu poteſtatem deformari & deturpari à VOETIO, & in poteſtatem ab eo commutari, Chimericam, vanam, illuſoriam, & planè inutilem.

1. Quia VOETIANA poteſtas non eſt verbi poteſtas, ſeu potentia ad ſalutem, cujus vis & robur non pendet ab humana voluntate, nec à majori numero decernentium.

2. Quia

2. Quia ipſo fatente non eſt poteſtas realis, ſeu Magiſtratûs.

3. Quia nec (ipſo pariter fatente) ſit Juriſdictio propriè dicta.

4. Quia grandia crepat in foro externo, nec tamen valet cogere quemquam ad obſequium externum.

5. Quia modus iſtius poteſtatis non eſt in imperante, ſed in obſequente, & cujuſvis conſcientia ut loquitur VOETIUS.

6. Quia executio iſtius poteſtatis, pertinet ad aliam poteſtatem, ſeu Laicam, ſine qua VOETIUS fatetur poteſtatem Eccleſiaſticam non poſſe exequi ſuos actus.

7. Quia Laicalis poteſtas non tenetur exequi actus poteſtatis Eccleſiaſticæ ad nutum paſtorum, ſed ſuum.

8. Quia Magiſtratus poteſt impunè eludere & irritos facere omnes actus iſtius poteſtatis Eccleſiaſticæ.

9. Quia nullum extat viſtigium iſtius poteſtatis VOETIANÆ, nec in ſacra ſcriptura, nec inter gentes.

Cæterum auguror, ſi quid clariſſimus VOETIUS regerit, duo Imprimis repoſiturum.

1. Me nihil aliud in meo Papa Ultrajectino apponere præter fercula eadem ex crambe recocta. Cum tamen (ſi quid ejuſmodi mihi objicit quod & Ludovico Molinæo imputat) nihil appoſitum à nobis videam quod non ſit, aut novum plerumque, aut certè à VOETIO intactum, omiſſum aut prætermiſſum. Mos eſt enim VOETIO ad ſua reſpondere non aliena, nec quicquam afferre præter αἰτήματα quibus illa quæ in quæſtione verſantur pro veris & certis ſupponit ut ſunt, Juriſdictionem Eccleſiæ Judaicæ diverſam fuiſſe à Juriſdictione Reipublicæ, Regem Joſaphat inſtituiſſe 2. Synedrium, aut potius repoſuiſſe: unum (quod fuit Dei), fuiſſe Eccleſiaſticum, alterum quod fuit Regis civile & politicum, nec unquam quicquam momenti affert contra argumenta decretoria & quæ Jugulum petunt, ut ſunt teſtimonia allegata à Martyre, Muſculo, Gualtero, Pareo, Riveto, quæ poteſtatem Eccleſiaſticam non tantum verberant, ſed & diruunt.

O 2 Eludat

Eludat ſi poteſt vim argumentorum quibus palam facio poteſtatem perperam dictam Eccleſiaſticam ejuſdem eſſe naturæ cum poteſtate Magiſtratûs & propriè dictam eſſe Juriſdictionem.

Item illorum, quibus doceo in omni Synodo & conſiſtorio, duas poteſtates diſtinctè conſpici, unam poteſtatem verbi, quæ ad ſolos paſtores pertinet, alteram Magiſtratûs, eique analogam: locum tertiæ & mediæ poteſtati non dari.

Item illorum, quibus diſtinctionem legum in Eccleſiaſticas & Civiles, ut inde duplex poteſtas ſtabiliatur, everto, cum omnes leges *formaliter* ſint unius claſſis, licet *materialiter* diverſæ: ſintque leges Eccleſiaſticæ, civiles, politicæ, militares, teſtamentariæ &c.

Item illius, quod tametſi canones Synodorum (imo ipſa excommunicatio) tam eſſent Divini, quam ipſa præcepta decalogi, non poſſe habere vim legis in foro, ſeu Eccleſiaſtico, ſeu humano obligandi hominem externum ad obſequium, niſi rati, ſanciti, & imperati à ſumma poteſtate ſeculari: atque id argumentum non eſt crambe recocta.

Item eludat illud, quod par ratio debeat eſſe Juriſdictionis ſub œconomia Euangelica ac ſub legali quoad Idemtitatem aut diviſionem Juriſdictionis.

Item de Synagoga Judaica, in qua duæ poteſtates conſpicuæ erant, una verbi, altera Magiſtratûs. Et cur par ratio non ſit Synodi aut Conſiſtorii?

Eludat illud de exortu Juriſdictionis Eccleſiaſticæ à Conſtantino Magno non à Chriſto.

Item illud, quod Eccleſiæ ſub Ethnicis Imperatoribus nunquam gubernatæ fuerunt abſque Magiſtratu, quatenus regebantur per diſciplinam confœderatam, quæ vice Magiſtratûs erat.

Item illud de prima conformatione ſenatûs Eccleſiaſtici à Calvino

Digitized by Google

Calvino (& quod deinceps fuit aliorum exemplar) in quo duplo major numerus fuit Magiſtratuum & præſedit Syndicus.

Item illud quod paſtor non ſit præſes in Synodo per poteſtatem verbi, ſed per poteſtatem judiciariam, analogam poteſtati Magiſtratûs.

Item quod cum numerus major det vim & robur canonibus, is actus non ſit actus poteſtatis in verbo, ſed poteſtatis Judiciariæ ſeu Magiſtratûs.

Item quod, cum tam latè pateat cognitio paſtoris Euangelici, quam Juriſdictio Magiſtratûs, hic imperet de omni Juſtitia, injuſtitia, peccato, controverſia, lite; ille pariter de his omnibus cognoſcat fruſtra, ſeorſim cuique ſuum tribunal & ſuam Juriſdictionem aſſignari.

Item eludat illud, quod nuſquam in ſacra ſcriptura non tantum Eccleſia (ſeu cœtus fidelium) veſtitur authoritate judiciariâ, ſed & nomine Eccleſiæ paſtores intelliguntur. Dicat hoc VOETIUS an hoc ſit crambe recocta.

Item det mihi VOETIUS poteſtatem mediam inter illam authoritatem quæ eſt perſuaſionis, & illam quæ eſt coactionis, unam quæ eſt poteſtatis in verbo in volentes, & populum Spontaneum, alteram quæ eſt poteſtas Magiſtratûs.

2. Auguror fore ut VOETIUS pro reſponſione reponat, & ingerat aſpergatque in meum caput congeriem, grandinemque diſtinctionum, diviſionum, & modorum poteſtatis cumulativæ, deſtructivæ, occaſionatæ, & cujus non? quibus me obruat, excæcet, & ſcotomate percellat, ac ſuffundat. Sed ante omnia edico illi, me omne certamen declinaturum, ſi quid ejuſmodi incœptet, neque enim niſi unam admiſſurus ſum διχοτομίαν, nempe poteſtatis in internam & externam, unam quæ per miniſterium verbi ſe exerit, agitque in hominem internum, alteram quæ per diſciplinæ, aut amorem, aut terrorem, agit in externum hominem: quicquid extra hanc diſtinctionem afferet accipiam pro meris ſuffugis, effugiis, & evaſionibus,

foraminibusque murium , in qua ſe proripiat , ne à me comprehendatur: nam cur æquo marte iiſdem & paribus armis, mecum non decertet ? Impar certè foret certamen , ſi ego nudus cataphracto congrederer cum milite & à capite ad calcem tot modis , diviſionibus , & diſtinctionibus tecto , & armato : quanquam non video quæ cauſa mihi eſſet metûs à VOETIO, licet nudus cum tam benè armato congrederer, nam procul dubio is eſſet congreſſus Dioxippi Athenienſis cum Macedone apud Curtium : nudi ferentis tantum ſtipitem nodoſum , cum Macedone ubique munito & armato , uti ſariſſa, lamea , & gladio. Adoriatur me VOETIUS ſariſſâ poteſtatis occaſionatæ , implicitæ , explicitæ, dein lameâ poteſtatis privativæ reductivæ & hypotheticæ , ac gladio poteſtatis deſtructivæ , ego alter Dioxippus ſolo ſtipite meo Macedonem meum VOETIUM exarmabo , exuam , ſpoliabo, & ad terram dabo.

FINIS.

ANT 1316467

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XV. C. 13.
7019

Digitized by Google

XV
C 2

BI